IN GALENI LIBRVM

DE CONSTITVTIOne artis Medicæ, Tabulæ & Commentarij:

PER THEODORVM ZVINGGERVM BASILIENSEM, PHILOSOphum & Medicum.

Ex quibus rationem inueniendi & constituendi artem quamlibet, iuxta Resolutiui ordinis leges, (cuius natura, ars & usus multis iam seculis latuit) studiosus Lector facili negotio depromet.

ACCESSIT Rerum & uerborum in his præcipuè memorabilium INDEX.



Cum Cæs. Maiestatis gratia & priuilegio ad annos decem.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. GASPARO, ANTISTITI AD DIVVM BLASIVM IN HERCYNIA, PATRONO OPTIMO ET HVMANISSIMO, FIDEI ET GRATITVDINIS ERGO THEODORVS ZVINGGER BASILIENSIS, PHILOSOPHVS ET MEDICVS, HASCE TABVLAS ET COMMENTARIOS IN LIBRVM GALENI DE CONSTITVTIONE ARTIS MEDICAE,

D. D. D.

REUERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO, D. GASPARO, ABBATI D. BLASII IN Hercynia, Theodorus Zuingger S. D.



PRINCEPS ille gentilium Theologorum Hesiodus, & uenerandæ antiquitatis mysticæque philosophiæ restaurator, καδδύναμιν ἔρδειν ἱερὰ ἀθανάτοισι θεοῖσιν Ἁγνῶς καὶ καθαρῶς, præcipit. Ego autem, Presul amplissime, Dijs quidem diuinos honores, diuinis uerò hominibus maximos quosq; tribui debere, semper existimaui. Nam cùm homo natura sua animal κοινωνικὸν sit, rationi consentaneum est, & quotidianis exemplis confirmatum, uerum id esse quod ueteri prouerbio iactari solet, Homo homini deus, Homo homini lupus. Vt enim hominis causa omnia quodammodo à sapientissimo Opifice creata sunt, ita quoque eundem præclaræ huius mundanæ (ut ita loquar) reipublicæ principem esse oportebat, καὶ ποιμένα λαῶν, non autem tyrannum. Proinde data ei fuit ratio, per quã alioqui nudus & inermis, cætera omnia in usus suos conuertere, alijsq; prodesse posset: cuius ductu à terrena fæce brutoq; appetitu sese eleuare disceret, & ad Deorum immortalium naturam (quantum homini fas est) propius accedere studeret. Vt ergo rerum quarumlibet præstantissimarum usus optimus, deterrimus uerò abusus esse consueuit: ita quoque rationis humanæ errores omnium perniciosissimi iudicari debent, quando uidelicet appetituum cæca persuasione occæcati mortales, in omne nefas præcipites ruunt, & pro felici regno tyrannidem calamitosissimã stulti amplectuntur. Hinc genus omne malorum, atque, ut ille ait, οἷς αὐτοῖς μέγα πῆμα, καὶ ἀνθρώποισιν ἐσομένοισιν. Cùm ergo nulla maior pestis homini accidere possit quàm ab alio homine, & uicissim omnis utilitas ab eiusdem beneuolẽtia & familiaritate pendeat: factum est, etiamnum apud rudem & incultam antiquitatem, ut uirtutem ipsam, cuius splendorẽ & maiestatem in sui natura nondum perspexerant, sola humanitate & utilitate metirentur: eosque à quibus in uita multis beneficijs essent affecti, post fata in Deorum numerum referrent: cæca quidem miserandaque ignorantia, præclaro tamen animo & eximio gratificãdi studio. Gratitudo siquidem amicitias alit, amicitia beneficẽtiam excitat, beneficentia deniq; humanam societatem (sine quã nihil saluum aut incolume in rerum natura subsistere potest) conseruat atque tuetur. Etsi enim uaria alioqui sunt hominum ingenia, tamen ut in uniuersum dicam, optima quæq; & uerè ingenua honestate primùm, deinde etiam ea, quæ uirtutis indiuiduus est comes, gloria, ad res præclaras accendũtur: ignobiliora uerò & seruilia, utilitatem solam spectant: infima omnium, præsenti uoluptate mouentur atque superantur. Et priora quidẽ illa, cùm rationem sequantur, per quam homo à belluis differt, naturę

singulari prærogatiua imperare debent: posteriora uerò, parêre. Sed quorsum hæc? dicat aliquis. Vt omnes intelligant, Antistes sacratissime, officij mei, quod tibi nunc præstare cogito, rationem & occasionem. Nam cùm clarissimus uir, IOANNES HUBERUS, Academiæ nostræ Basiliensis columen atque decus, philosophus eximius, medicus consummatissimus (quem tanquam præceptorem semper obseruare, colere & imitari nunquam nec destiti, nec desinam) pro singulari sua beneuolentia me tibi insinuasset & cõmendasset: tantum illius apud te authoritatem ualere intellexi, ut me non modò facie, sed ne nomine quidem notum, humanissimè exciperes, atque etiam inter tuos esse patereris. quod ipsum mihi tam gratum fuit, quàm gratum cuiuis bono esse debet, cum uiris optimis & humanissimis, atque adeò ἀντιθέοις ἀνδράσιν, ut Homeri uerbis utar, amicitiam & familiaritatem cõtrahere. Etsi enim uirtutem tuã hoc ipso omnes meritò suspicere & admirari debeant, quod ad illud honoris dignitatisque fastigium sis euectus, ut non modò alijs præesse, uerumetiam (quod in rege suo Plato præcipuè requirit) exemplo tuo alios monere & excitare possis: tamẽ, ut ingenuè fatear, ἀκρόασιν præsens ἐμπειρία longo interuallo post se reliquit, atque superauit. Nam quod sæpe à clarissimo præceptore nostro magna cum uoluptate & admiratione audiueram, id reipsa coràm mihi uidere & experiri licuit. Verùm enimuero de his, quæ etsi uerè & ingenuè, absque ullo assentandi crimine, uix tamen sine adulationis aliqua suspicione in mediũ afferri possent, alius esto locus: præsertim cùm neque ego, pro tenuitate ingenij mei, dignus laudum tuarum præco esse possim: neque uirtutes tuæ ita in obscuro sint positæ, ut magnoperè aliorũ prædicationem, nedum cõmendationem requirere uideantur. His igitur omissis, ad institutum meum uenio: & quia iuxta uetus prouerbium, Deorum puluinaria uacuis manib. accedere nefas est, offero tibi, clarissime Præsul, librum Galeni De constitutione artis medicæ, Commentarijs nostris illustratũ, & per Tabulas à nobis explicatũ. Quo ipso nec maius quid, nec te dignius, nec professioni nostrę conueniẽtius me dare potuisse intelliges, si ea quæ dicturi sumus, placido beneuoloq; animo cognoscere nõ grauaberis. Galenus, post diuinũ Hippocratem, Medicinæ facilè princeps, uir acuti iudicij, indefessæ diligentiæ, laboris inexhausti, iuuandæ posteritatis causa multos uariosque libros ad medicam artem pertinentes conscripsit. Quorum alij quidem, prout occasio sese offerebat, & argumenti copia requirebat, partem aliquam artis tantùm pertractant, eamque diexodicè, hoc est, longa & continuata narratione persequuntur, prolixè fideliterque singula explicant, & ad uiuum omnia resecant: alij uerò, totam artem breuibus generalibusq; præceptis cõprehensam continent. Priores ergo illi quamuis sparsim, incerto tempore, loco & ordine à Galeno sint scripti, possunt tamen ad compositiui ordinis seriem redigi atq; disponi: quod ipsum Galenus in

Procemio Artis medicæ insinuat, & nos in Epilogo eiusdem libri luculenter ostendimus. Posteriores uerò, qui integram artem comprehendũt, duo sunt tantùm: nimirum Ars medicinalis, in qua Definitiuo ordine præcepta artis traduntur: & liber De constitutione artis, qui Resolutiuo ordine medicinam ex suis fundamentis deducit. Et de arte quidẽ medicinali suo loco egimus. Liber uerò De constitutione artis medicę, quem tibi, Antistes reuerendissime, dedicauimus, ampliorẽ declarationẽm requirere uidetur: eo maximè, quoniã uniuersam artem, ordine Resolutiuo traditam complectitur: quo neminem ante sua tempora usum fuisse, in Procemio Artis medicæ Galenus apertè testatur. Etsi enim omniũ ordinũ ea est natura, ut à priori ad posterius, hoc est, à causis ad effectus, siue à principijs ad ea quæ à principijs orta sunt, progrediantur; tamen quia principia ista uario modo considerari possunt, & inter causas ipsas nunc hæc, nunc illa prior esse uidetur, pro diuerso respectu & instrumento cognoscendi: idcirco fit, ut generalis ordinũ natura in tres specificas differentias secetur: inter quas una quoq; est ordinis Resolutiui, quę à causis externis auspicat, à fine scilicet, & ex eo causas internas deducit, tandẽ subiungit ipsos effectus. Et hoc sanè uocabuli ipsius significatio innuere uidet. Resolutio enim nihil aliud sibi uult, quàm eius quod cõpositũ est dissolutio. Iam uerò quia cõpositio uaria esse potest, prout etiã subiecta sunt uaria, idcirco non quoduis cõpositũ hîc intelligi uolumus, sed illud tãtùm quod sub artẽ cadit, & uniuersale est, nõ τὸ ὅλον simpliciter (hoc enim in εὑρέσει αἰσθητικῇ primũ esse cõsueuit) sed τὸ καθόλου, quod ἐν τῷ μανθάνειν καὶ διδάσκειν primas obtinet. Iam uerò quia inter hęc ipsa uniuersalia doctrinæ propria, alia quidẽ magis sunt generalia, latiusq; patent, & totius artis mẽbra pręcipua cõstituunt: alia uerò particulas artis cõtinent: fit, ut Resolutio quoq; duplex sit. Nam si totã artem in principes partes diuidas, disponas atq; distinguas, Ordinem habebis: nec ordinẽ tantùm, sed insuper quoq; Resolutiuũ, quãdo à fine exordieris, ex fine causas reliquas & effectus deduces, deniq; per finis cognitionẽ omnia ea quę de ea arte quã tractas, dici aut mente concipi possunt, declarabis. At uerò si particulã tantùm artis simplicem, nõ multiplicẽ, discutiendã nobis proponamus, Methodus dicetur, eaq; Resolutiua, siue Resolutio: quoniã etsi finẽ nõ præsupponimus, aut primo loco tractamus (quod in ordine Resolutiuo perpetuũ est) tamẽ aliquid quod de re proposita uerè pronunciari consueuerit ab omnib. aut saltẽ ab aliquibus, ijsq; sapientibus, assumimus, & ex hac prima confusaq; noticia resoluimus solidã atq; distinctã problematis nostri cognitionem. Exemplum habemus illustre apud Platonẽ in Sophista, ubi per Methodum resolutiuam, definitionẽ Sophistæ inuenire summo cum artificio conatur. Resolutionis igitur uocabulo artificiosam uniuersalium dissolutionẽ intelligimus, quę διδασκαλικὴ sit, non εὑρετικὴ: hoc est rationis, non autem sensus examen subeat. A' qua quidem resolutione nomẽ habuit Ordo primùm resolutiuus, deinde etiã Methodus resolutiua: quorum

utrunq; ſub Logici contemplationẽ cadit, quatenus diſpoſitionẽ eorũ quę doceri debent, oculis & animis hominũ ſubijcere laborat. Et proinde Reſolutio iſta, ſiue ἀνάλυσις, differt nomine pariter & re à Diſſolutione ſiue à διαλύσει. Differentiã hanc ille cognoſcet, qui διάλυσιν τῇ γενέσει oppoſitã eſſe intelliget, & utranq; ad operã noſtrã ueluti effectũ cognitionis (quemadmodũ in limine Artis medicinalis Galeni monuimus) accommodari & referri debere iudicauerit. Etſi enim propter affinitatẽ uocabula iſta ſæpe confundi ſoleant: tamẽ ſi ἀκριβολογίαν philoſophicam ſpectare & ſequi uolumus, ἀνάλυσιν quidẽ ad γένεσιν referemus, tum in ordine, tum in methodo: & in horũ rurſus utroq; non ad quaslibet eorundem ſpecies, ſed ad aliquã tantùm, utpote ad ordinẽ reſolutiuum, & ad methodũ reſolutiuam: Διάλυσιν uerò ad eam quæ nomẽ idem obtinuit, in aliorũ ſcriptis reſoluendis facultatẽ, quocunq; ordine uel methodo tractata & tradita ſint. Verùm de his in pręſentia exactè diſputare nolumus. nam utilia quidẽ ſunt, ſed tamen propriũ Commentarium requirũt. Satis nobis eſt hęc in mediũ attuliſſe, ut Reſolutiõis & Diſſolutionis diuerſa ſignificatio & natura intelligeretẽ. Iam uerò ordo Reſolutiuus quomodo à Compoſitiuo & Definitiuo diſtinguatur, ex ijs quæ dicta ſunt intelligi poteſt: multo autẽ clarius ex noſtris in Artem medicinalẽ Commẽtarijs. A' cauſa externa principe orditur, à fine uidelicet, qui primus in intentione ſiue mente artificis eſt operaturi, primus in opere artificis ratione nitentis & intelligentis, ultimus uerò in opere artificis operantis. Quapropter rectè Reſolutiuus ordo dicitur, atq; etiã Conſtitutiuus: quandoquidẽ artem ex fundamentis ſuis, per quę cognoſcitur primùm & conſtituitur, deducit. Etſi enim plures alię ſunt cauſæ, tamẽ internæ ad compoſitionẽ, externæ uerò ad conſtitutionẽ magis conferre uidenẽ. Quid inter uocabula iſta intereſſet, in προλεγομένοις ſtatim huius libri docuimus. Verumenimuerò cùm duplex ſit character ſiue modus orationis, quo artes ordinibus ſuis comprehẽſas, atq; (ut Galenus loquitur) διδασκαλίας τάξεως ἐχομένας tractamus: Compoſitiuus quidem ordo longam, fuſam, planã & perſpicuã orationem requirit: Reſolutiuus uerò & Definitiuus breuiorẽ ut plurimùm, etſi non ſemper. Nam etiamſi apud Galenũ utriuſq; ordinis exempla habemus, ſumma breuitate & perſpicuitate tradita, Reſolutiui quidẽ in libro De conſtitutione artis, Definitiui uerò in Arte medicinali: tamen cõtradicendi characteres eorundem ordinũ ex Ariſtotele proferre poſſumus, Definitiui quidẽ in tribus libris Artis rhetoricę, Reſolutiui uerò in Ethicis. Itaq; nec Reſolutiuus & Definitiuus ſemper breuitatẽ amant, nec fortaſſe Compoſitiuus ſemper diexodũ amplectẽt: ſed hęc in docentis arbitrio prudentiaq́; poſita ſunt, & ad rhetoricã facultatẽ pertinent, quę Methodum prudentię profitetur. Λέξις ergo ſiue character definitus & certus nulli ordini propriè attribui poteſt, ſed ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ tantùm. Omnes uerò ordines in eo conueniunt, quòd artificioſam diſpoſitionẽ continent, quę per Tabulas proponi & oculis ſubijci poteſt. In Arte profectò medicinali à nobis hac

de re


de re abundè disputatũ fuit,ut hîc opus non sit eadem repetere.Illud tãtùm moneo,instituti nostri explicandi & declarandi gratia,cùm omnis ordo habeat prius & posterius, hęc uerò dispositionẽ, dispositio aũt cohærentiã rerum naturalẽ & genuinã: Tabularum usũm in γενέσει simul & in διαλύσει non modò opportunũ & utilem, sed etiam necessariũ esse. Quapropter ordo quoq; Resolutiuus σχηματισμὸν hunc facilè admittet. Quod nos nunc in hoc libro, & multo antè in Ethicis Aristotelis ostendimus. Verum tamen illud est,quòd Resolutiuus ordo continuatę narrationi similis esse uidetur,cùm causas & effectus omnes ex suo fine deducat, & instar cathenę anulum ex anulo nectat:eaq; propter Tabulę in doctrina Resolutiua non tam facili negocio, atq; in Definitiua & Compositiua,parari possunt. Accedit eò,quòd pro connexione rerũ indicanda frequentes occurrunt in hoc ordine ἀνακεφαλαιώσεις, quarũ in Tabulis nullus est usus. Tabulę enim artificiũ solum admittunt,aliena omnia & πάρεργα respuunt. Deniq; propter cohærentiã rerum mirabilem κρύψις artificiosæ dispositionis, sicubi aliàs, hic locum maximè habet. Ex his ergo cõstat,ut opinor,Resolutiui ordinis natura: quam nos hoc in loco leuiter adumbrare uoluimus, ut facilior esset aditus ad Galeni librũ De constitutione artis Medicæ. In quo quantum operę & studij collocauerimus, illi testabuntur, qui æqui alienorũ laborum iudices & censores esse uolẽt. Κρύψις profectò artificij, quę ordini Resolutiuo peculiaris est, hîc summa fuit:atq; adeò multum quoq; nobis negocij exhibuit,eo potissimùm,quòd nemo antè nos simile quid in hoc Commentario tentauit. Victoris Trincauellij Veneti,uiri clarissimi, (quo præceptore Patauij usus sum)interpretationem retinere placuit:capita tantùm,prout διαλύσεως ratio exigere uidebatur, immutaui. Et hunc quidẽ ingenij nostri fœtum, Antistes optime,sub tui nominis auspicio apparere uolui: ut cùm singulari tua humanitate,maximarumq; uirtutũ opinione,me tibi totũ deuinxeris & manciparis,meæ quoq; erga te uoluntatis & gratitudinis publicum extaret testimonium. Vale,Antistes amplissime, & me inter tuos clientes esse patere. Basileæ, X. Calend. Iulij. M. D. LXI.

T. A. D.

Theodorus Zuingger Basiliensis, Philosophus & Medicus.

CL. GALENI DE CONSTITVTIONE ARTIS MEDICAE, AD PATROPHILVM, VICTOre Trincauelio interprete.

PROOEMIVM.



VONIAM mihi quidem, Patrophile, diuino quodam uideris affectu prædìtus, dum omnia non sine demonstratione & methodo cupis addiscere; decreui tuę huic animi promptitudini morem gerere, sermonesq; illos qui te audiente his de rebus habiti sunt, quę non leuem tibi dubitationem afferebant, in Commentarios redigere. Nam cur in hoc non descendam certamen? quũ te uideam uiæ ad ueritatem ducentis aliquod iam esse assecutum principium, quam tamen prę illius tum sublimitate & longitudine, tum etiam asperitate solus cõsequi non possis. Siquidem quamplurimos quotidie animaduerto quantumlibet inuitatos, non modo eo se cõferre nolle, sed pigritia potius torpẽtes ab illa auerti. Te aũt contrà ac illi affectũ esse uideo, qui, cùm alij in hunc usq; diẽ ferè omnes ab ea diuertentes, ad alias uias se conuertãt, quasi ueritatem ex sublimi quadã specula perspexeris, pulchritudinis illius ardenti statim amore captus, nec iter detractes, nec soli eam prouinciã tibi cõmittere audeas. Atqui si in præsentiarũ uerã artis medicę constitutionẽ inuenire affectans, animo discruciaris: mox (ut ego quidẽ arbitror) cùm resplendens ueritatis lumẽ fueris intuitus, maiori longè afficieris desiderio, nullam aliã uiam hac, quam tu inuestigas, præstantiorẽ inueniẽs. te siquidẽ ad ueritatẽ inueniendam, quocunq; te uerteris, diuinitus esse affectum inspicio. Itaq; quum aures medicæ artis addiscendæ causa quamplurimis adhibuisse affirmares, nunquam tamen unde sit opus demonstratione methodoq; exordiri, ex aliquo accepisse, atque multo etiam minus quenquam inuenisse, qui uiam à principio in finem usque perducentem monstrauerit: ego id quod cuperes ostensurum pollicitus sum, si modo tantisper sustinere uelles, donec hanc rationem in alijs etiam artibus prius exerceam. Tu uero nec ab ea inuitatione te alienum ostendebas, nec alioquin tergiuersari præ te ferebas: immò tibi gratius fore hoc quàm alio modo ad istud institutũ progredi affirmabas, si tamen me hoc etiam ostensurũ profiterer, omnium inquam eandem esse methodum. Quod quum non modo assererem, uerùm & continuò in prima proposita contemplatione monstrarẽ: te præ illius uarietate quasi gestientem conspexi. Et quum multæ præterea aliæ, præsertim uero illæ quæ ex effectiuarum numero sunt (eiusce enim generis est & hæc quæ circa sanitatem uersatur) eadem ratione pertractarentur: statim te ad hanc quam ab initio aggressus fueras, contulisti. Ac ubi hic quoque animaduertisti eandem Methodum locum habere: ne hæc quæ à nobis exposita fuerant è memoria laberentur, referri in Commentarium efflagitasti. Ego uero tuo hoc ueritatis studio allectus, duos confeci Commentarios. alterum, in quo se prius exercuisse operæprecium fuerit illum, qui artem aliquam assequi instituerit: id enim ibi monstratur, in quo omnes antiqui philosophi consentiunt, quamlibet nimirum artem à finis notione suam habere constitutionem, qui ob magnitudinem in duos libros distinctus est. alterum uerò, quem in præsenti in manibus habemus, ubi ostendimus Methodum eandem quæ omnes alias artes, ipsam quoq; constituisse medicinam. Sed nobis iam exordiendum est.

TRACTA-

TRACTATIO.

De fine Medicinæ. CAP. I.



VVM artium aliæ quidem in sola natura rerum earum contemplatione suum habeant finem constitutum, quas sibi considerandas proposuêre, sicut arithmetica, astrologia, ac etiam naturalis scientia: aliæ edant præterea actiones nonnullas, ut tamen nullũ deinde habeant opificium ostendere, quod, postquam agere desierint, aliquo tempore maneat, ut saltatoria, & præconum ars: aliæ uerò istis econtrariò opificium insuper aliquod habent quod ostendant, quemadmodum ædificatoria, & ars fabrilis: nonnullæ nihil ipsæ quidem conficiunt, natantum operam student'que ut aliquid capiant & acquirant, ueluti piscatoria & quæ canibus feras insectatur; & omnes tandem uenatoriæ. & quum tu medicam artem Methodo constituere institueris, id primum considerandum occurrit, in quo'nam illa sit artium ordine: num è contemplatiuarum numero, an actiua potius, uel factiua, uel acquisitiua. nec id ipsum difficilem aut inquisitionem aut inuentionem habet. Opus quippe est reuocare in memoriam, quam ob rem huiuscemodi artem assequi concupieris: & illud erat quod, quum hoc negocium aggrederemur, omnium primum ex te sciscitabar: mihiq; respondisti, uelle te homines, in primis qui corpore sunt præter naturam affecto (si tamen fieri posit) in naturalem statum restituere: sin minus, saltem cognitionem aliquam comparare, qua discerni posint illi qui sanari possunt, ab ijs qui secus. Vnde dato à te nostro huic sermoni hoc principio, affirmaui statim, his indicari, eam artem quam constituere affectas, ex effectiuarum esse numero. habet enim opificium aliquod, quod finita actione posis ostendere. Sunt nempe & aliæ præterea artes quàm plurimę effectrices, ut æraria, sutoria, ars construendarum nauium, fabrilis, figulina, pictoria: & tantus artium factiuarum inter mortales numerus, quantus nullius ferè alterius generis inuenitur. Quare iam operæprecium fuerit, ut eam methodũ, quam in istiusmodi artibus priori Commentario didicisti, ad illam in præsenti transferas quam constituere festinas: posito hic quoq; eodem principio quod in alijs statutum est, finis inquam notione: quæ unde petenda sit, non erit forsitan ab re in præsentiarum oratione prosequi.

Itaq; prima quæ in nobis suboritur cognitio, tũ nostrũm ipsorũ est, tum aliorũ hominum, dum bene ualent. Altera ab illa, eorundem quũ morbis impliciti sunt, unde mox in nobis bene ualendi desiderium assurgit, & insuper artem aliquam sanitatis procuratricem constituendi. Vt autem bonam ualetudinem efficere proponimus: ita ex factiuarum numero ea ars futura est, quæ à nobis est constituenda. Deinde uerò quum duplices sint, ut monstrauimus, factiuæ artes: hæc quam inuestigamus, in eis potius erit quæ rem factã corrigunt, quàm quę aliquid quod prius non esset conficiant. Sunt enim artes nonnullę quę res ipsas conficiunt, sicut sutoria & textoria. aliæ labefactatas uitiatas'ue resarciunt: ut illæ quę uestes corrosas aut dilaceratos calceos consuunt.

De MATERIA subiecta Medicinæ, hoc est, de corpore humano in uniuersum. CAP. II.

NOs uerò iam ostendimus, fabricandarum quoq; ædium artem eodem se habere modo, quippe cùm nihilominus in illa duo hæc reperiantur munia. etenim & ædes quæ nunquam prius fuerint, erigit: & uitia earum quæ labefactatæ sint, resarcit. Ostendimus præterea, necessarium fore artifici ad hæc utraq; peragenda munera, ædiũ particulas omnes nouisse, qua substantia cõstent, qua figura, qua magnitudine, quo numero, atq; etiã quam inuicem compositionem habeant.

Quare illi quidem qui artem circa humanum corpus uersantem constituturus est (sed eos primùm qui de nominibus quotidie rixantur rogatos uelim, ut illam mihi Medicinam in præsenti appellare permittant) sanè necessarium erit illius partes omnes sigillatim cognoscere, quali (inquam) substantia, qua magnitudine, quali figura, quo numero præditæ sint, quamq; inter sese compositionem habeant. Atque ueluti qui extructas iam ædes sibi exactè quales'nam sint cognoscendas proponit, nunquam earum cognitionem nisi ex dissolutione, resolutione'ue assequi poterit: ita nos corporis humani noticiam ex illius dissectione consequimur. Deus nanq; & ipsa Natura instar illius qui ędes primùm fabricatus est, partes prę norunt, earum officijs pro exemplari usi: nos uerò illum qui extructam domum contemplatur imitamur. Cæterùm nisi nos quoque aliquam diuinæ illi similem (quoad tamen eius fieri possit) cognitionem attentauerimus: nunquam profectò discernemus, num omnia ad aliquem usum sint procreata, an uerò nonnulla etiam frustra (etenim utrunque in opinionem cadere potest) & præterea quòd aliqua potius malo sint. Imò ex illo capite ea prodit cognitio, quam nobis de optimè constitutis corporibus comparamus. Sed de his postea.

Nimirum quum corpora quæ Similiaria appellantur, ex dissectione apprehenderimus, qua inquam formata sint ratione, quanta magnitudine prædita, quotq; ea omnia sint, & quo modo coagmentata: compositorum pariter membrorum, quæ instrumentaria nõnunquam nominare solemus, scientiam assequemur. eiusmodi crus est, eiusmodi etiam manus, digitus, oculus, lingua, pulmones, iecur, cætera'que omnia generis istius. Quo fit deinde, ut duplices partium actiones reperiantur. nam aliæ simplicium similarium'que sunt, alię compositarum & instrumentariarum: quippe cùm & crus uniuersum moueri uideamus, & sigillatim omnes musculos, ac etiam quòd musculo quocunq; per transuersum resecto necesse sit motum aliquem cruris illius inde deperire. Sed qui præterea illa quæ corpori quotidie eueniunt obseruauerit, uidebit facilè, si neruus qui in aliquem musculum inseritur, uulneretur, primùm quidem expertem sensus motusq; musculum reddi, mox uerò & articulum qui inde mouebatur. Quare nobis quoque artem hanc constituturis, necessarium fore arbitror, non modò partes & earum compositionem, uerùm & actiones cognoscere. Qua sanè parte ab ædificatorib. differimus. illi enim solas partes unà cum earum compositione norunt, cùm illæ omni actione uacuæ sint: domus etenim animal non est. uerùm ad nos pertinet, ipsas etiam actiones inuestigare. Proinde duplex quoque hic habemus exquirendi principiũ: actionis inquam, ac particulæ. cognitionem actionis quidem, utpote ratiocinari, meminisse, eligere: particulæ uerò, ut cerebri, medullæ spinæ, cordis. Quamobrẽ actionum omnium quas nouimus, particulas, & particularum omnium actiones inuestigabimus: quę inuestigatio, sua nec ipsa Methodo carebit. de hac tamen posterius disquiremus.

De partium organicarum materia. CAP. III.

AT in præsentiarum id exactius exponamus, quod nuper à nobis dictum est, duplicem esse ut particularum, ita etiam actionum naturam. Totius quidem cruris actio incessus est, qui fit, dum articuli illius uicissim nunc extenduntur, nũc inflectuntur: ut in ipso statim genu musculi priores, qui patellam suis tendinibus supergressi, ossi tibiæ inseruntur: simulat'que tibiam attraxerint, crus extendunt: quod mox inflectatur, quum interiores idipsum etiam egerint. Eodem pariter modo motus eduntur, inflexis coxæ pedis'ue articulis, ac deinde distensis. Itaq;, cùm musculum, quotiensciunq; cute circumposita nudatur, apertè uideamus ad suum quasi caput & originẽ contrahi, adduciq;, quando tamen neruus ad ipsum descendens

dens ne moueri quidem sensili quopiam motu uidetur: erit profectò neruus ueluti uia facultatis à cerebro prodeuntis. Cerebrum uerò esse neruis omnib. huiuscemodi facultatis originem, principium'ue, inde perdiscas: quod secto quocunque neruo in supremis partibus, quæ cerebro continentes sunt, actiones integræ seruantur, quum tamen omnes in inferioribus depereant. Verùm non æquè deinde manifestū est, an sit quæpiam pars alia, quæ ita illi, ut ipsum neruis, uires impertiatur: an potius ipsum uti fons earum sit. etenim hæc disquisitio ad animi pertinet principatum.

3 Sed reuertamur unde diuertimus. Igitur incessus actio est totius cruris, cui tamen ex partibus omnibus, è quibus crus constat, musculorum præest genus. Ossa namque & cartilagines, adeps, glandulæ, arteriæ, cutis, uenæ, membranæ, & ligamenta, habent à musculis motus initium. primū enim ab ipsis ossa mouentur, mox cætera (quum hæc osśibus in orbem adhæreant) unà etiam cum ipsis mouentur. Quare motio pedis, actio est ad musculum attinens. uerùm totius cruris actio nō ita illius est: ut sit etiam partium omnium. Et ob id diximus duplex esse actionum genus: alterum, primum ac maximè proprium, quum pariter omnes simplices partes agunt: alterum uerò ex accidenti, aut secundariò, uel non primò, aut quomodocunque appellare libeat, totius est instrumenti.

De partium organicarum forma, quatenus integras actiones producit. CAP. IIII.

VT autem hoc à nobis ita constitutum est: reliquum erit deinde inquirere, quibus'nam simplicium, quibus & instrumentariarū partium actio conficiatur, sumpto tum ab instrumentarijs, posteaquam etiam cruris meminimus, nostri sermonis initio. Nempe nisi ossa tot tantaque essent, & ea præterea figura, eoque ordine composita: nihil mehercule musculorum motus posset perficere. siquidē sit opus ut alterum os recipiat, alterum subingrediatur: & ut ligamenta sint circumcirca apposita, quæ eorum connexum, ne dilabantur, contineant. Ea uerò nec ita dura sint & intenta, ut motionibus propterea reluctentur: nec adeò etiam laxa, ut articulos uacillare sinant. Quo deinde fit, ut sit necesse ipsa quoque ligamenta sua constare magnitudine, figura, numero & compositiōe. quia si maiora aut minora fuerint, si plura uel pauciora quàm sit opportunum, si in aliam figuram formata, si alij cuipiam loco inserta: non erit amplius integra articulorum motio. Operæprecium autem erit in alijs etiam omnib. non secus ac nos in osśibus & ligamentis fecimus, de actione usuque disserere. quippe quia si nulla reperiatur pars quę ociosa ab omni prorsus tum actione tum usu uacet: illa quidem, si fuerit præstantisśimè constructa quantum ad substantiam, quantitatem, figuramque & ordinem spectat: erit, ut est, seruanda. si uerò uitium aliquod contraxerit: in statum meliorem ducēda. At hoc nequaquam feceris, nisi uniuscuiusque particulę prius, ut actionem & usum, ita constructionem noueris. Minimè igitur nos, qui corporis morbosi salubrisque scientiam consequi instituerimus, hæc pigeat exquirere.

De partium organicarum forma, quatenus actiones læsas producit. CAP. V.

SEd posteaquam in hūc locum deducta est oratio: opus erit huiuscemodi Methodi facultatem memoria repetere. Nemo porrò rei cuiuspiam structuram, utpote domus, uel nauis, uel scamni, unquam an uitiosa sit, an omni prorsus uitio careat, perpendere poterit: nisi partes omnes ex quibus constat, optimè scrutatus fuerit: animaduerteritque quo numero, quàm magna, qua figura sint, & quę situm teneāt. In his enim omniū coagmentatorū corporum tum uitium, tum integritas posita est: in quibus ostensum est omnes quoque domus nauisque affectus consistere: siqui-

re: siquidem & uitium in eisdem, & integritas, in magnitudine inquam & forma, partium numero, & situ. at uerò lecti non in istis: uestimentorum autem in alijs quibusdam, & calceamentorum in ijsdem. Itaque uitium atque integritas affectus'que omnium instrumentariorum corporum, quorum essentia est ex compositione, quatuor his generibus cõtinetur. Verumenimuerò si partes unionis quoq; ex natura participes sint, quintum hoc etiam genus his erit addendum corporibus: ita ut quod in his se præstantißimè habuerit, sit etiam optimas habiturum actiones: quod uerò deterrimè, eas pessimas habebit. quòd si unio præterea alicunde dissoluatur: non modò ea affectio culpa non carebit, sed statim erit morbus censendus. Genus autem istud, nos, clarioris doctrinæ gratia, unitatis dissolutionem appellemus: ut tamen nullam propterea differentiam ponamus, si quis continui solutionem uoluerit appellare. Sed hoc non est prætermittendũ, huiusce generis affectus similares etiam partes esse participes: quum in osse & neruo, carneq; & arteria & uena continuum uitietur, quotiescunque punguntur, uel roduntur, uel secantur, uel lacerãtur, uel scinduntur. Quanquam in osse quidẽ is affectus κάταγμα, hoc est fractura dicetur: in carnea uerò musculorũ parte, si illis nimium distensis accidat, ῥῆγμα, quasi scissuram dixeris, appellatur: quemadmodum, quum ita distenduntur filamenta ut disrumpantur, σπάσμα. Sed continui solutio in carne uulnus est, sicuti in neruo scisio: nisi quòd hoc nõ à distensione fit, sed à sectione. tamen si ab acuta ac tenui re infligatᷣ uulnus: punctio uel punctura appellatur: si à graui, contusio. Quòd si ex corrosione habeat ortum, ut in osse τερηδὼν, id est caries, ita ulcus in alijs dicitur: non sic autem, ut non liceat alio etiam modo nominare. Tot ergo talesq; in hoc quinto morborum genere, quum simplices particulas occupat, differentiæ erunt. Instrumentarijs autem (ut diximus) qua maximè parte corpora genere diuersa committũtur & coalescunt, sępe accidunt. uerùm omnes ἀποσπάσματα, quasi diuulsiones dicas, appellandæ sunt. Sed si similaris quæpiam particula in totum dissecetur: affectio illa partim illius quę secta est dicetur, partim totius instrumẽti. quamuis nonnunquã huius nõ nisi ex accidenti dicenda sit: ut quum uel musculus, uel aliqua alia eiusmodi particula patitur. quãdoq; tamen etiam primum, utpote quum ligamentum. Porrò ut nos in uno hoc morborum genere, quo partium continuitas uitiatur, in pręsenti differentias persequuti sumus disquirere: ita tu simili experiare ratione cętera quatuor genera. alioquin enim me superuacaneè facturum crediderim, si eorũ quæ exactè in libro De morborum differẽtijs pertractata sunt, iterum in hoc Commentario meminisse uoluero.

De similarium partium materia proxima. CAP. VI.

AT interim non pigebit, quod iam antea ostensum est, nobis in memoriam reuocare: omnium inquam rerum, quarum substantiæ species compositione constat, quatuor hæc uniuersa genera, totius substantiæ causas esse, & uitiatæ præterea integræ'ue ipsarum figuræ. Deinde uerò necesse esse, illum qui idoneus futurus est tam ad earum uirtutes cognoscendas, quàm earundem uitia emendanda, naturæ cuiuslibet simplicis particulæ prius esse peritum. Iam enim sicut ad artificem, quum domus alicuius lateres uel tegulæ, siue crudę modò sint, siue coctæ, aliquid passæ sunt incommodi, callere pertinet, quo modo alię illis similes conficiendæ sint: atq; etiam quo illæ quę uitium contraxerunt, inde sint eximẽdæ, integræq; in priorum locum restituendę: ita necessum habet is qui artem constituturus est, quæ curam gerat humani corporis, præterea nosse, possit'ne pars quæpiam in alterius locum restitui, uel secus. Quandoquidem si malè affectã carnem resecueris, facilè aliam poteris reficere: secus autem, si neruus uel ligamentum

excida-

excidatur. neq; enim alia resarcies, qualia erant priora, quum illa ex sanguine, hæc uerò ex semine ortum habeant. Et os quoque in his est, quæ per primam efformationem constructa sunt: aliquid tamen habet similis cuiusdam naturę, quod in eius locum sufficí possit. Sed hæc equidem hoc in loco obiter, & exempli potius gratia deprompsimus: quæ tamē esse ab artis constitutore diligenter exquirenda, ipsamet ratio præcipit, & nos iam inuentionis eorū principia descripsimus. quippe qui hæc ad primam animantis generationem remisimus: ac etiam consuluerimus inuestigandum esse, quę nam suum ex semine ortum habeant, & quæ ab alimentis continenter gignantur.

De partium similarium materia remota: hoc est, de elementis.

CAP. VII.

ATq; adeò longè etiam magis methodus non modò nos exhortatur, sed cogit ad inquirendum, utrum unaquæq; pars, de his inquam quæ simplices similaresq; uidentur, unum sit, an potius ex pluribus constituta: & præterea, quis sit earum compositionis modus. Nam & hæ omni dubio procul eadem ratione qua & instrumentariæ appellatæ, pro magnitudine, figura, numero & situ eorum ex quibus constitutæ sunt, suam sortientur integritatem & uicium, si similem quidem etiam habeant generationis modum. Quòd si res non ita se habeat, sed magis instar illius medicamenti, quod tetrapharmacum dicitur, totis illis per tota mixtis sint confectæ: alia tibi uia erit ad inuentionem integritatis, uicijq;, & earum etiā morbi. Sicuti (ut ego quidem arbitror) si ex exquisita partium iuxta se inuicem appositione potius, quàm ex earundem temperatura, perinde ac medicamentum illud aridum, Cephalicum, quasi capitale dixeris, appellatū, sua sit ipsis unitas. pro hac etiam ratione cùm integritas & uicium, tum morbi inquirendi erunt, qui generationi ipsius rei sint congruentes. At si ex pluribus quidem, illis tamē nequaq; specie dissidentibus, sed magis uniuersis similibus essent constitutæ, quemadmodum si ædes quæpiam fortè ex solis forent aut lapidibus aut lateribus constructę: tunc in sola similarium partium structura, integritatem uiciaq; & morbos præterea generationi illarum rerum peculiares inuenias.

Quòd elementorum tractatio ad medicum pertineat, & ab eodem explicari possit. CAP. VIII.

VErùm, ut ratio ipsa nos docet, ex necessitate alterū ex his quæ proposita sunt in similaribus istis corporibus reperiri: ita quòd nam ex his uerius sit, diligētem exigit disquisitionem. Etenim uidemus & ipsos philosophos, sicuti ex medicis nonnullos, qui in hanc quæstionē inciderūt, inter sese magis esse dissidentes, q̄ medicos. & inde (ut mihi quidem uidetur) factū est, quòd medicorum complures ab ea se continuerint. partim enim quòd inuenire se posse quod quærerent diffidant, partim quòd non modò inueniri non posse credant, uerum etiam quòd esse inutilem arbitrentur, illam omittunt. Ego uerò quòd ea minimè sit illi inutilis, qui artem methodo potius quàm experientia uelit constituere, iam satis cōstare puto. Sed quòd præterea sit etiā possibilis, mox differemus, cùm aliqua inter nos prius discusserimus. Nempe si mihi fidem aliquā præstas, ut sanè præstas, qui me nihil unquam ad hominum gloriam, sed ad ueritatem omnia semper fecisse inspexeris: nihil est quod philosophorum aut medicorum multitudine inter se dissidentium deterrearis. Quoniam si illi ea omnia unde ueritatis cognitio petenda est, probè tenuissent, nec tamen ab ipsis esset preterea reperta: meritò utique esset de eius inuentione fortassis desperandum. At quum illos quidem aliquibus caruisse, ut ipsi quoque fatentur, satis constet, reliqua an habuerint in dubio sit: nos uerò quòd ea omnia tenere nobis ipsis sumus conscij, audacter à nobis adeunda est hæc quæ-

stio. Sed quot'nam ea sunt quę conuenire opus est, ut quodcunq; quis inquisierit, quodq; uerum sit, inueniat: uel si minus, saltem non omnino de inuentione despe ret? nimirum septem. Primùm, natura perspicax, ut edoctus, facilè quamcunq; rationalem disciplinam cõsequatur. Alterũ, educatio exercitatioq; à teneris annis in primis disciplinis. in primis uerò operępreciũ fecerit, si iuxta Platonis præceptũ, se in Geometria & Arithmetica exercuerit. Ad hęc tertium, quibusq; optimis suã tempestate habitis pręceptoribus se auditorẽ pręstitisse. Quartum, laboris eò esse patientissimum, ut diu noctuq; nihil cõmentetur aliud, q̃ quæ ad disciplinas spectant. Quintum, q; paucissimis datum est, ueritatis amore esse captũ: soloq; illius studio, toto uitę curriculo teneri, cęteris omnib. neglectis quę à q̃ plurimis aliorũ multifieri solent. Sextum, aliquã pręterea methodũ, qua uerum à falso discernatur, didicisse. Neq; enim ad eorũ inuentionẽ quę inquirẽda nobis proposita sunt, satis fuerit ueritatis desiderio affici: nisi etiã uiam aliquã, eam inueniẽdi expeditã habeat. Septimum insuper, eam methodum ita iugi exercitio tritam habere, ut non modò norit, sed uti etiam ualeat. Porrò si oratores qui in arte longè minori uersantur, nõ sibi satis esse methodum nouisse putant, nisi illam assidua exercitatione per totam coluerint ætatem: quanto minus ijs qui magna adeò sectantur, methodum didicisse sufficiet? Itaque si uel unum horum quæ recensuimus, in illo desideretur, qui ad uiam ueritatis introducendus est, non erit admodum sperandum, illum posse sui uoti fieri compotem. Si uerò omnia cumulata adsint, quid deinde uetat quò minus ueritatem bona etiam spe exquiramus?

Elementorum naturam ex syllogismo Hippocratico deducit.

CAP. IX.

Proposueramus igitur & hoc ipsum mox inuestigare, si quemadmodum uniuersas corporis partes ad eas usque quæ sensuum iudicio simplicissimæ sunt, ex dissectione cognouimus: ita etiam illas quæ natura primæ simplicissimæ'que sunt, quales utiq; sunt, inuenire possimus, ut tamen non omnes sigillatim, sed unã tantum in aliorum exemplum oratione prosequamur. Proposita ergo carne, primùm quidem hoc disquiramus, an specie unum sit id elementum ex quo ipsa procreata est. nam neque malum fore putarim, si primam simplicissimam'que in ea particulam hoc nomine appellauerim. Deinde uerò, si secus uideatur, an multa: mox quot ea sint, & quæ & quem habeant compositionis modum. Profectò si caro quum uel secatur, uel nimis calefit, dolet: fieri nequit ut unum specie elementum habeat, ut Epicurus atomum, hoc est indiuiduum corpusculum putauit. Nam uel ex hoc capite maximè potest liquere, id quòd unum specie est, non posse tale elementum esse: siquidem nulla atomus ipsa per se natura calida est uel frigida, atq; longè etiam minus alba uel nigra. Sed cur in his nimis immoror, sermonemq; dum minutissima quæque persequor, in longum protraho? nulla enim penitus qualitate istæ atomi (ut sui quoq; autores testantur) præditæ. de his loquor qualitatibus, quæ per tota corpora uidentur permeare: quoniã ea quidem qualitas quæ ex figura est, illis omnibus non deest, & præterea renitentia, pondusq;. Sed nihil, quantũ ad nostrum quidẽ attinet institutum, referre puto, si hæ uel qualitates uel alio quopiam nomine appellantur: cùm illis hæc omnia quæ dicta sunt, insint, nec specie illa differant, sicut & similaritates, homœomerias Græci dicunt, apud eos qui ipsas posuere, uel quatuor elementa apud eorum authores. Inquit ergo Hippocrates: Ego uerò statuo, quòd si unum sit homo, neutiquam dolebit. Et sanè rectissimè ait: quippe quia in alterum nequit mutari, si unum est: quum nihil præterea relinquatur, in quod mutari possit. Quòd si est mutationis, erit quoque alterationis expers, atq; etiam impatibile: sed quod impatibile est, nulli est dolori expositum.

positum. Porrò ex prædictis pronunciatis hæc colligitur conclusio,unũ esse impatibile. Mox uerò aliam interrogabimus rationem in hunc modum: Si elementum esset specie unum, nihil unquam in rerum uniuersitate doleret. at dolet: igitur elementum non est unum. Sed quoniam de carne proposueramus sermonem habere, de ea rationem instituamus. Si carnis elementum esset specie unum: nunquam illa doleret. dolet autem: igitur elementum carnis non est specie unum. Poterimus tamen hanc rationem alio etiam interrogare modo. Si impatibile esset elementum carnis: non doleret. sed dolet: ergo non est impatibile. Nihilo etiam minus ratio hæc, si quis plura posuerit elemẽta quæ alterationis expertia sint, ad ea pariter adaptari poterit. Si impatibilia sint carnis elemẽta: minimè dolebit. quũ autem doleat: non sunt ergo impatibilia elementa carnis. Quare prior quidẽ ratio eorum decretũ subuertit, qui aut atomos, aut incompactilia, aut minima quædam subijciunt elementa. Altera uerò, tum eorum qui similaritates (ut ita dicam) introducunt, tum ipsius Empedoclis sententiam tollit, qui & ipse ex quatuor elementis, quæ tamen mutuò inter se nequeant transmutari, corpora constituit.

De forma compositionis similarium ex elementis. CAP. X.

IAm ergo si huic rationi animum adhibuisti, pars uel maxima eorum quæ quærebantur, citius etiam quàm sperares inuẽta est. Etenim est monstratum, carnis elementa oportere esse patibilia. proinde non amplius illi, qui in illa impatibilium corporum compositione, quæ ipsi naturæ rerum omnium esse elementa statuunt, dolorem exoriri posse autumant, ex ratione institutum suum defendere poterũt: quum nec intelligentia capiat, nec ulla sensilia consentiant, quòd impatibile doleat. Nimirum si duos digitos simul committas, moxq́ iterum eos disiungas, nec illorum conuentus, neque diductio aliquem excitabit dolorem. ut enim aliquid dolet: ita & patitur. quod uerò contiguum tantummodo est, non patitur. siquidem pati ab his duobus prodit, ab alteratione per tota, & ex continui dissolutiõe. Itaq; quando nec conuentus, nec separatio corporibus uel manifestò patibilibus ullum affert dolorem: minus profectò afferet impatibilibus. Sed nec incompactile illud Asclepiadis, quod ἄναρμον Græcè appellat, frangendo dolebit, si modò fragile sit: utpote quia sensu caret. Proinde nihil hoc ex eo quòd patiatur, magis habet ut sentiat, quàm os, cartilago, assungia, uel capilli. omnia enim hæc quamuis patiantur, minimè tamen dolent: quia sensu uacua sunt. Igitur quodcunque in dolore futurum est, necesse habetur ut cùm patiendi, tum sentiendi facultate præditũ sit. nulla tamen propterea necessitas cogit, illud quod sentit, ex illis constare primis quæ ipsa etiam uim habeant sentiendi. nam satis erit, si ex patibilibus sit. dum enim patiẽtur & alterabũtur, poterit aliquam uim sentiendi assequi: quũ innumeræ esse possint elementorum alterationes & temperaturæ, unde mox innumeræ particularium corporum poterunt oriri proprietates: ut nullum deinde uideatur absurdum, si aliqua euadant sensus expertia, alia uerò illius capacia: atque horum nonnulla id magis consequuntur, nonnulla minus. Iam ergo elementa esse plura uno, & ea constare natura ut alterari possint: satis lucidè monstratum est, illis nimirum qui (ut nuper diximus) ea omnia in promptu habent, quę hominem idoneum ad quampiam rem scientia comprehẽdendam reddunt. Nam alios qui ad id stupiditatis deuenêre, ut nunquã uel ipsi inquirere si aliqua sit demonstrandi methodus, uel ab alijs addiscere, & minus etiã in ea se exercere uoluerint: ne admittendos quidem ad hos sermones censeo. Hæc enim à nobis inueniendæ potius ueritatis studio instituta est disputatio, quàm ut cum aliquo aut contenderemus, aut uinceremus. Quòd si quis cuperet præterea rudes istorum opiniones redarguere, librum ad hæc habebit à nobis editum, ubi De elementis iuxta sententiam Hippocratis disputauimus.

De materia compositionis similarium ex elementis. CAP. XI.

SEd rursum ad institutum nostrum reuertamur, ut illi tandē finē imponamus. Posteaquam elementū alterationis per totum capax est: mox disquirendū est, quot sint elementa: ut tamen hic quoque nostro sermoni principium à rebus euidentibus constituamus. Porrò necesse est, ut illa quę rem quampiam alterant, primùm quidem illud contingāt quod ab eis alterandum est, ac ita mox illud tandem immutent. Hoc sensus ipse docet: hoc ipsa rerum natura monstrat. Neq; enim animo capi potest, ab hac in hoc loco accensa flamma posse ea quæ in Ægypto sunt, alterari: sed si id quòd transmutat aliquid, illud tangendo alterat: necesse etiā habet, ut per aliquas tactiles qualitates hoc agat. At quid est deinde, quod uetat quin eas omnes examinemus? Sanè acutum secat id cui occurrit, nequaquam tamen ipsius substantiam alterat: quemadmodum & graue, quod & ipsum contundit, ut nullā tamen in uniuersam rei patientis substantiam inducat transmutationem: neq; durities eam uim habet, ut possit rem uicinam in aliam mutare speciem. Calor autem et frigus totam proximæ rei substantiā alterare possunt, simili etiā modo humiditas & siccitas, q̄uis hæ non æquè citò ac priores, attamen & ipsę tandē subiecta transmutant. An'ne igitur & aliam quampiam præterea qualitatem habemus, quæ alterandi uim contineat? an potius earum uniuersa multitudo his ipsis comprehenditur, ita ut solę istę iam dictę & haberi mereantur, & dici actiuæ qualitates: & ex eis quàm maximè prima oppositio, in hac uerò in primis calor. habet enim præ cæteris omnibus qualitatibus uim in agendo maximam. mox autem frigus, deinde humiditas & siccitas: præter has nulla alia reperitur qualitas, quæ res quib. occurrit per totum possit alterare. Nam si quid rem aliquā aut diuellat, aut tundat, aut pungat, aut secet, id sanè aliquid facit: tamen illa eius alteratio non ita per totam rei substantiam permeatut, in aliam substantiæ speciem rem immutare possit, sicut illam potest in plura partiri. Vnde si niuem ad minima usq; secueris, nix quidē seruabit: sed simulac calefiet, statim desinet amplius nix esse, utpote quę ex aqua refrigerata, non ex ea in unū coacta, ortū habuerit. hoc enim magis ad substantiæ accrementū attinet, illud uerò ad generationē. Etenim diuisio cōtrariorū in particulas paruas, substātiæ est imminutio: calefactio, alterius est substantiæ generatio, priori forma mutata. Quapropter quęcunq; corpora has sibi qualitates primùm uēdicauerint, erunt etiā cùm aliorū corporū omniū, tum carnis elementa. Sunt aūt hæc: terra, & aqua, & aer, & ignis. Atq; omnes philosophi, quicunq; demonstrationē non tergiuersantur, hæc esse eorū omniū quę generentur & intereāt elemēta autumant: nec non & ea sese mutuò transmutare, & habere quoq; subiectū quoddā horū omniū cōmune. Verùm nō est de his à nobis nūc institutus sermo: sed de eo potius, q̄ nō sit opus ut quisq; eorū multitudine deterreatur qui à ueritate aberrāt: & q̄ potius illi fides pręstanda sit, qui demonstrationē tenet: & præterea ut illi qui ne nouerūt quidē demōstrationis essentiā (sicuti de seipsis nōnulli eorū q̄ se philosophos appellant, fatentur) nihil decernere audeāt: cùm hoc absimile non sit, ac si quis uellet addiscere qua ratione oporteat defectus solis pręuidere, anteaq; circa numeros & lineas se exerceat. Profectò huiuscemodi homines, perinde ac uoragines fugiēdi sūnt: quippe qui eos quibus cum uersantur, aut secum rapiant, aut saltem contaminēt, præterq; eos qui in Logica disciplina quantum satis sit exercitati sunt. Proindeq; si cuipiam alteri, huic quàm maximè disciplinę nauanda est opera.

De forma partium similarium. CAP. XII.

SEd quoniā hęc, ut sanè compertū habeo, nōn plurimùm ad rem faciunt: ideo reuertamur ad propositum nostrum. Nimirum ex quatuor elementis simul contemperatis, corpus unum similare gignitur, quod pro uaria temperamenti ratione aut particeps sensus, aut illius expers euadit. & pariter in utroque istorum

genere

genere differentiæ omnes particulatim differentiam temperamenti sequuntur. Ex ipsius itaq; proprietate hoc quidem os efficitur, illud caro, alterum arteria, alterum neruus. Sed & sigillatim uniuscuiusque proprietas, suum ex temperamenti proprietate habet esse: siccior enim & calidior est leonis caro, ouis humidior & frigidior: inter utramque autem humana media est. sed in hominibus quoque, Dionis (exempli gratia) calidior & humidior est, quàm Philonis. Vnde corporum similarium differentiæ, quæ simplices quidem sint, tot sunt, quot elementa: calidiores quippe, & frigidiores, & humidiores, & sicciores: totidē uerò compositæ, ut quæ simul frigidiores & humidiores sunt, queq; calidiores & humidiores: & præter has alia tertia siccior & calidior: & quarto deinde loco, quæ siccior & frigidior: ut tamen præterea sit etiam illa quæ temperatissima est, & harum omniū prima. Sed de his abundè in libris De temperaturis pertractauimus.

De FORMA Medicinæ. CAP. XIII.

RElíquum autem erit, posteaquam inuentum est, similarium integritatem & uitium ex elementorum esse tum moderatione, tum immoderatione: ut inquiramus quo modo ab eorum uitio morbus sit distinguēdus. Hæc uerò distinctio suū à rei utriusq; notione, iuxta ea quę in libro De demonstratione ostensa sunt, exordium habitura est. Sed quæ tandē est salubris, quę etiam morbosæ corporis cōstitutionis notio? Porrò salubris cōstitutio corporis actiones sibi ex natura debitas inoffensas habet: & proinde si quis sanus quidem sit, altero tamen, qui itidem prospera fruatur ualetudine, actiones habeat imbecilliores: erit sanè is illo intemperantior, necdum tamen ægrotat. Itaque inter salubres uniuersos habitus unus erit temperatissimus, octo uerò intemperati. at inter morbos, nullum inuenias tēperatum, quia omnes intemperati sunt: eundem tamē numerum complent, quem salubres intemperaturę. Quòd si aliquis accedat qui assentiri nolit, aliquos temperatos, aliquos etiā intemperatos in sanis ponendos esse: cogetur ille è duobus decretis alterum statuere, aut omnes usquequaque ægrotare, aut omnium eandem esse temperiem, uirorum, mulierum, puerorum, uigentium, senum, pugilum, priuatorum, operariorum, ociosorum, ualentium, imbecilium. utrunque uerò absurdum est. Quare tertio loco necessarium erit, sanitatem eam habere latitudinem, ut possit quamplures salubrium corporum differentias, pro pluris minoris'ue ratione complecti. Quod non modo hic, sed in alijs etiam omnibus facilè reperies. Domus quippe & nauis, lectus & arca, et uestis atq; calceus, currus'que nunc melius nunc deterius, quantum ad structuram pertinet, se habent, priusquam ægrotent: ut nobis tandem sit subijciendum, tres in omnibus rebus reperiri corporum status, optimum, deprauatum, & morbosum. Optimus unicus est. absolutissimū enim, nihil deterioris in se admittit. Reliquorum duorum multitudo nullo potest numero definiri: sed eorum differentiæ à pluri minore'ue ortum habent.

De EFFECTIBVS Medicinæ. CAP. XIIII.

POsteaquam autem hac nostra oratione hucusque peruentum est, hic illam interpungamus: atque ea quæ hactenus dicta sunt, per capita resumamus. Sic enim facilè quid ex proposita quęstione repertū sit, quid'ue præterea reperiendū supersit, agnoscemus. Propositum erat, artem sanitatis effectricem constituere, quæ tamē non ita se habet ut ars ædificatoria quę domum extruit, sed ut ea quæ aliquā illius partem labefactatam instaurat, quamuis neque in hoc etiam sint usquequaq; similes. Imò hoc ipsum erat quod quærebamus inuenire, quatenus inquam possit is qui artem sanitatis effectricē tractat, in corrigendis corporum uitijs, esse ædificatori assimilis. Quum aūt ad omnia hæc sit apprimè necessarium illius corporis naturam prænouisse, cuius uitijs ars mederi studet: ideo nos idipsum in quæstio-

nem uocauimus. Sed ubi inuenerimus, quòd actiones & cõstitutiones quæ ex natura ipsis attribuuntur particulis, sint illæ quibus simulac malè afficiuntur, omnis debetur ratio tam custodię ꝗ curationis: quęremus deinde, quot cõpleat id quod secundũ naturã est. Sed mox reperto, quòd instrumentariarũ quidẽ partiũ substãtia, ex simpliciũ q in illis sunt: simpliciũ uerò, ex quatuor elemẽtorum cõpositione cõstat: de utrorumꝗ morbis disquisitionem instituimus, ut iam oratio nostra salubrium corporũ, atꝗ etiã morbosorũ noticiam ferè pepererit: nõ tamẽ eam uniuersam: sed magis aliquam illius speciem, & ueluti exemplũ quoddam. Totã uerò tam salubriũ quàm morbosorũ corporũ scientię substantiã assequemur, quũ ipsas species ad materias adaptauerimus. Nam neque medico satis est nosse, unamquanꝗ particulam gigni ex calido, frigido, humido & sicco, simul temperatis: nisi etiam speciatim quod'nam sit ossium temperamentũ, quale carnis, aut uenæ, aut arterię, & aliorũ tandẽ quarũcunꝗ partiũ simpliciũ fuerit perscrutatus. & pariter quoꝗ, quæ'nam sit partiũ instrumentariarũ compositio: utpote, manus, cruris, iecinoris, thoracis, pulmonum, cordis et cerebri. Vbi pari passu haud sufficiet morborũ genera differentiasꝗ callere: nisi norit etiam, qua ratione singulis illa partibus accidant. Quod ut fecerimus, non ex specie aliqua, sed ex ipsa uniuersa rei substantia, quam ex his utrisꝗ confici monstrauimus, specie inquam, & illius susceptrice materia, scientiã comparatã habebimus. Iam autem superest, ut quomodo quis morbos curet, quo etiã sanitatem tueatur, exquiramus. Verùm quia hæc sunt à nobis affatim in duobus libris pertractata, Curandi nimirum methodo, & Salubrium libro: satis erit, eorum eatenus solùm meminisse, quatenus possint ipsam methodum aperire.

Quid in corpore ægro agendum sit. CAP. XV.

ITaque medendi methodus ex ipso cùm sanorum tum ægrorum corporum affectu suum habet principium. Quum enim id quod excellenter sanum est, si modò illud similare, uel instrumentarium, omni ex parte moderatum existat, ęgrũ uerò immoderatum, siquidem morbus immoderatio quędam est: aduertendũ est in primis, quę'nam ea sit illius immoderatio. quippe necessarium est aliã inueniri immoderationem huic contrariam, quæ in similarium simpliciũmꝗ corporũ habitu qualitas est: in instrumentariorũ uerò, si morbosa quidẽ immoderatio circa magnitudinẽ constiterit, erit altera huic contraria magnitudo: si uerò in figura, figura isti contraria. & eodẽ modo numerus se habebit, & situs. Vnde reditus ex immoderatione ad temperiem, in omnibus erit ab immoderatione contraria: ut tandem sit necesse id quod præter naturam affectum est, dum ad naturalem statũ redit, illã eandem quasi uiam incedere, quam prius confecerat, præterquàm quòd ordine contrario. Sed si contrario ordine: per contraria igitur præsenti affectui erit illi reditus. Et proinde is erit omniũ curandorũ morborũ cõmunissimus generalissimusꝗ scopus, contrariũ inquã: quemadmodũ & ab Hipocrate suo loco traditũ est, Contraria contrarijs remedia esse, & particularibus particularia contraria. Calido enim morbo frigidũ, & frigido calidũ: ita etiam sicco quod humectat, humido quod exiccat. & in similarib. quidem res se habet hoc modo. In instrumẽtarijs autẽ, oportet in unoquoꝗ prædictorũ quatuor generũ morbosę immoderationi eousꝗ contrariũ adhibere, donec ad moderationẽ naturalemꝗ statũ fuerit peruentũ. ut si caro præterꝗ naturę ratio exposcat ulceri accreuerit, nõ id quod carnẽ generet, aut alat, sed quod detrahat, imminuat, erodat, corrũpatꝗ, administrare expedit: sicut ea quę carnẽ gignant, quotiescũꝗ cauũ ulcus pati cuipiã acciderit: utroꝗ tamẽ tãtisper utẽdũ, ut quũ primũ fuerit ad moderatũ deuentũ, statim desistamus, priusꝗ in cõtrariũ trãsitus fiat. Nam dũ superexcrescentẽ carnẽ detrahis, nisi simul

nisi simulac mediocritatem attigeris, perstiteris, partē illam cauam reddas: ut etiā dum cauum reficis, nisi in mediocritate te contineas, caro nimis excrescet. Nempe hoc morborum genus, quo partes in maioris minoris'ue excessum uertuntur, per contraria (ut diximus) emendatur. In altero uero genere, in quo naturalis formæ modus exceditur, quum id plures pro partiū ratione habeat differentias, earū unicuiq; suum erit contrarium sigillatim inueniendum: quemadmodū si pars quæpiā magis q̃ sibi debeatur curua fuerit, in contrariū impellendo premendoq; reducenda erit. Quòd si intrò cōpressa sit, & facta ueluti sima: extrorsum, ut nasum solemus, reflectenda est. Item quę lenia facta sunt, cùm tamē aspera esse deberent, exasperanda: sicut aspera lęuiganda. Sed & illa quę concauitates, uel meatus, uel omnino foramina, aut maiora q̃ par sit, aut minora, aut exinanita plus ęquo, aut pleniora, aut lentis crassisq; succis obstructa habuerint omnia: hæc pariter ad contraria, quoad mediocritatē attigerint, deducere expedit. Quippe ea etiā quę in situ extra naturalē statū exierint, ecōtrario in pristinum & naturalē modū reuertētur: ita ut quæ in anteriorē partē prominent, retrorsum: & quod in posteriorē, ad anteriora repellatur. atq; eodē modo in reliquis duabus oppositionibus, dextrū inq; & sinistrū, sursum & deorsum. Quū autē corrupto numero ex natura partibus debito uniuersum instrumētū in morbū illabit: nouisse oportet, idipsum uel excessum in quāto importare, uel defectū, sicut nuper in magnitudinis permutatione diximus. proinde illius curatio, ut etiam in illa, aut per ablationē fit, aut per additionē: tamē eo differūt, q̃ in hoc morbi genere particula nonnunquā integra, in illo uerò portio quæpiam alicuius particulæ aut amputanda est, aut adijcienda.

An in corpore ægro curatio institui posit. CAP. XVI.

CÆterū considerandū est præterea, non modò in hoc, sed in alijs quoq; omnibus generibus, num habeamus facultatē ea quæ ex indicatione se offerūt, perficiendi. siquidē forma, morbi curationis duntaxat modū indicat: id aūt fieri posit, nec ne, alioquin nō indicat. quū hoc in omnib. factiuis artibus nō ex rei faciēdę notione depromat: sed potius ex potentia uel impotētia causæ effectricis, itemq; ex copia aut indigētia materię. Nimirū eædem res à nonnullis possunt, ab alijs nequeūt confici: atq; etiā possunt nonnunq;, & nonnunq; nequeunt. etenim eorum omniū quæ corpori possunt, in causa cùm ipsa est natura, tum medicus. quædā tamē medicus, quędā etiā natura pręstare nequit. Os nimirū ita perfractū, ut de suo loco partes decedāt, mēbrumq; distortū reddat, haud potest natura corrigere & cōformare, sicut potest medicus: qui itē potest luxatū reponere, q̃ pariter naturæ negatum est. Sed natura ulcus cauū potest carne implere, medicus uerò nequaq;: quemadmodū quę semicocta sunt, aut etiā cruda, cōcoquere. Attamē medici ministeriū naturę potest ex usu ęsse ad hęc peragēda: siquidē illi est auxilio, dum adhibitis purgantibus medicamētis, ulcus purū reddit: & illis quę egent concoctione, ea offert quæ moderatè calefaciant. Verumenimuerò & ipsa natura nonnulla à se primùm confecta, denuò non ualet reficere: utpote uenam, arteriam, ligamentum, neruum, & alia quæ in eodem sunt ordine. Itaq; primùm ad medēdi methodum pertinet, reperire (ut à nobis dictum est) communem omnium scopū, Contraria cōtrarijs esse remedio: mox sua ad unumquodq; genus aptare contraria. tertiò cōsiderare, quādo tum nos, tum natura, scopo, quē indicatio insinuat, posit satisfacere: itē quando aut omnino, aut aliquo tēpore, aut ex aliqua parte id fieri nequeat. Nec erit hæc inter minimas naturalis contemplationis partes recensenda: immò opus erit, illum qui sibi, in illis quæ facienda sunt, quid queat, quid'ue nequeat inuenire proposuerat, in ea esse probè exercitatum. Nos uerò ad hāc rem explicādam duos dicauimus libros: alterum De animantis generatione, in quo ut

ex semine & menstruo sanguine fœtus suum habeat ortum, disseruimus: alterum de naturalibus facultatibus. nempe si seminis naturā cōtemplatus fueris, ita tamē, ut tuā contemplationē methodo demonstratiuæ subijcias: eadem tibi uidebūtur, quæ à nobis monstrata sunt, quam plures nimirum partes in fœtu, à formatrice facultate seminis substantia pro materia usa, effici. quod ubi cōsecutus fueris, non mirareris amplius, quòd natura iterum hæc ipsa non ualeat mox reficere. Quum uerò in libro De facultatib. naturalibus, eorum quę procreata sunt dispensationem fueris intuitus: inuenias facilè, quæ natura uel per se possit, uel etiam ope medici, quæ præterea nequeat, eâ maximè parte ubi De facultate causarum quæ opifices sunt, egimus, ac etiam de eorum substantia quæ ab illis eduntur. Ibi enim quicquid possit fieri, quid'ue non possit, inuenies. utpote si deperdatur cartilago, possit'ne rursus in locum illius alia refici cartilago, uel potius quippiam aliud illi ferè consimile. nec non & os an eam habeat facultatem, ut post primum ortum iterum, quum deperditur, restituatur: an uerò aliquid aliud restituendum sit, quod sit illi assimile. Item si pars neruosa transuersi septi potest iterū coalescere, aut cor ipsum, aut iecur, aut alia quælibet pars. neque enim mihi ad omnia connumeranda tempus suppetit, quum nec uniuersa medicina in hoc unico libro sit disponenda, nec idipsum inter initia nostri sermonis instituerimus: sed methodos explicare, monstrareq́ ex quibus & quot principijs, & quibus uijs sit constitutio artis peragenda. Itaq́ hic finem huic sermoni faciam, si tamē illum in caput unum redactum, parti iam constitutæ addidero. Perinde enim ut in illa, reperta semel salubrium morbosorumq́ corporum specie, mox censebam particulatim in omnibus materijs illam esse spectandam: ita quoque hoc loco, scopis à methodo medendi repertis, eos in particulares materias inducere exhortamur, ut deinde comprehendantur quæ aut omnino, aut ex parte aliqua, aut aliquo etiam tempore secundū eam fieri possint, quęq́ secus. Verùm hic etiam ista sunt cum alijs artibus comparāda. quia si quis domum ex coctis extructā lateribus, moxq́ ex parte aliqua labefactatam uelit ea parte, malè affectis lateribus remotis, alijsq́ integris in illorum locum restitutis, illam resarciri: statim ad opificem pertinebit, lateres illis similes qui uitium contraxerant, primùm cōficere. quòd si domino materia non suppetat quæ huic sit negocio idonea: ille instaurationem fore impossibilem asseuerabit. Pari etiam passu res in hac proposita disceptatione se habet. ex inopia materiæ, nullum eorum natura amplius reficere ualet, quæ à primordijs generationis animantis, ex semine constituta sunt.

De instrumentis curatiuis, siue de remedijs. CAP. XVII.

SEd quoniam abundè iam de his actum est: reliquum est, ut ea huic sermoni addamus, quæ dum remedia inuenire doceremus, à nobis dicta sunt. Nempe nos generales quasdam quasi eorum formas exposuimus, oportere inquam alia quidē refrigerare, alia calefacere, humectare nonnulla, quędam uerò exiccare. hi enim sunt scopi, qui ad partes similares attinent: sicuti in uitiata magnitudine, auferre aut reficere: in numero, aut totum eximere, aut gignere. ubi uerò peccatum sit in figura, ad naturalem figuram reducere, & pręterea repleta uacuare, uacua replere, obstructiones aperire, aperta contrahere, conniuentia ac densata in contrarium conuertere: hæc quidem rarefaciendo, illa uerò aperiendo. Ita sanè in morbis compositionis, scopus erit, in id quod est ex natura reducere: quemadmodum quū dissolutum est continuum, diductas partes iungere & conglutinare. Nimirum non est exigua huius artis portio, remediorum his omnibus conuenientium materias reperire: exempli gratia, si articuli de sua dimoueuntur sede. Porrò quum non modò in anteriora uel posteriora, in dextra aut in sinistra prolabi contingat, uerùm & in superi-

in superiorem locum prę musculorum contentione reuellantur: duplex motio ei erit ex usu qui illos repositurus est, prima quidē deorsum, altera uerò in pristinam sedem, & proinde id fieri sine tensione in contrariam partem, nunquam poterit. Iamq; cuilibet equidem potest apertum esse, quàm usui ueniant ad eam in oppositam partem tentionē, tum ualidæ apprehensiones, tum etiam distensiones. Vnde factum est, ut quum nonnunquam illa manibus nostris complere nequeamus: uaria ad hoc munus peragendum fuerint instrumenta excogitata, quę pleraq; reponendis luxatis membris deseruiūt. Non secus autem hæc instrumenta ad materiā remediorum pertinent, ac reliqua congrua auxilia: utpote medicamenta, cibi, potus, & quæcunq; tandem corpori administrata, uim habent affectus prænarratos ad naturalem statum reuocandi. Quare spectabit ad medicum, in his quoq; istorum auxiliorū materijs uersari, prædictosq; scopos illis ex usu accommodare: ne deinde in eum illabatur errorem, in quem ij qui putant frigidam aquam in omnibus quæ refrigeratione egent conuenire, & calida in his quæ calefactione: ignari ex accidente fieri sępe ut frigida calefaciāt, calida uerò refrigerent. Sed in libris De medicamentis, plurima de omnium istorum methodo dicta sunt: addemus tamen & hoc sermoni huic, uniuersum hoc materiæ remediorum genus, in offerendis, efficiendis, euacuandis, & his præterea quæ extrinsecus incidunt, consistere. Quæ omnia ubi artis constitutor fuerit persecutus, insuperq; uniuersæ materię scientiā particulatim consecutus, non ita tamen ut sola sit facultate contentus, immò & usum adhibuerit: iam causas omnes salubres, ut nihil illi præterea ad medendi artē constituendam desit, absoluisse putandus est, his omnibus in duo capita redactis, corporum nempe cognitionem quibus remedia sunt offerenda, atque ipsam remediorum naturam.

De signis diagnosticis ægris. CAP. XVIII.

VErumenimuerò hoc quoque illi qui se in hac arte uoluerit exercere, mox suppererit, ut sibi aliquā affectuū omniū dignoscendorū facultatē cōparet, in primis uerò eorū qui partes in corporis profundo sitas occupāt. qppe quū hac etiam parte nō cuiuscunq; sit, morbosum particulæ cuiusuis tum instrumētarię tum simplicis, si in alto sedē habeat, affectū excogitare: sed hic etiā oportet aliquā methodū ad partē affectā unà cum ipso affectu inuestigandā adhibere, de qua pluribus aliàs tractauimus. At erit nunc etiam necessariū, sicuti aliorū methodorū capita quędā hoc libro cōplexi sumus, ita de his aliquē habere sermonē. Primū ex quo genere earū rerū quæ præter naturā sunt, nos sperare habeamus in horū noticiam uenire posse. Nam tria sunt genera rerū præter naturā: primū, affectiones quæ actionibus officiant: alterū, causæ harū: tertiū, symptomata. Sed causæ, hoc in primis nomine appellantur, quū agunt: quamuis ita nōnunquā dicantur, etsi nō agant, quòd uim habeant agendi. exempli gratia, inter morborū causas cruditas censetur, cùm nullum adhuc morbū inuexit. Cruditatem appello, nō modò errorē concoctionis quæ in uētriculo fit: uerùm & in iecinore, in uenis, & tandem in uniuersa corporis mole. Symptomatum uerò genus in tres dispertitū est differentias, in actionū offensam, in ea quæ corpori accidūt, & excremētorum immoderationem. Cæterùm ipsa corporis affectio, quam uel morbū quis appellet, uel affectum, nihil intererit, est horum omniū causa: quę meritò quoq; ex symptomatib. agnoscit: quippe quū eorum respectu rationem causæ teneat. Porrò ex his nonnulla affectiones ipsas necessariò concomitantur: alia non ex necessitate, sed aut sæpius, aut rarò, aut æqualiter. Sicuti rursus inter symptomata, quædā necessariò affectionū differentias cōsequuntur, quędā sępe, alia autem rarò, aliqua uerò in ancipiti sunt. Ea itaq; symptomata quæ morbos ex necessitate sequuntur, quòd affectuum cognitionē afferāt, gręcè Pathognomonica dicuntur: & ea ipsa pro morborum notis habenda sunt.

Quę uerò non neceſſario: uel morbi differẽtiã, uel illius morem uel magnitudinẽ inſinuant. Et equidẽ uno eodemq́ꝫ exemplo utrorumq́ꝫ horum uim aperiam, ut hinc exorſus, eâdẽ in omnibus alijs methodo te exercere poſsis. Ponamus igitur membranam coſtas ualentem inflammatione teneri. porrò is affectus phlegmone erit, quæ hæc ſecum habeat ſymptomata neceſſe eſt: tumorẽ præter naturã, ruborem, dolorem: quorũ duo hic ſenſum effugiunt, ut tantummodo reliquus ſit dolor, qui coſtis incũbens ueluti pungẽs eſt. Dolet igitur homo propterea, quia phlegmone eſt affectio illa. at doloris ſpecies eſt pungenti ſimilis: quoniam ſubſtantia affectæ partis eſt membranea. Coſtis præterea eſt affixus: id enim quod affectum eſt, coſtis adhæret. Sed & ob id latè permeat, quòd ea ipſa membrana latè diffunditur. febrim quoq́ꝫ tum ex ipſo affectu, tum ex ſitu affectæ partis ſequi neceſſariũ eſt: quorum ſi uel alterũ deſit, iam non ex neceſsitate febris aderit. Nam ſi digitus inflammatione laborauerit, non continuò febris adorietur, quum is procul à corde ſedem habeat: nec ſi ea quidem membrana quæ coſtas contegit, tumore tamen duro, œdemate'ue. Spirãdi prętere a difficultas in his eſt, quę affecto loco ex neceſſitate præſtò ſunt: quippe quum ſit pars reſpiratorij cuiuſdam inſtrumenti. Attamen huiuſce difficultatis ſpecies, ab ipſo affectu potius quàm ab ipſa parte cauſam habet. dolor enim dilatari reſpirandi inſtrumenta non ſinit: utpote quia reſpirationis operam, eius uſu nondum expleto, diſſoluant, ut mox neceſſe ſit alteram celerius illi ſuccedere actionem, tanta non interpoſita quiete, quanta dum naturaliter ſe haberet: indeq́ꝫ ſpiritus frequẽs redditur, & paruus. Nec id ipſum modò huiuſce inflammatio membranæ neceſſariò ſecũ affert: uerũ pulſuũ quoq́ꝫ alterationem, cùm eã quæ à febre ſeiungi non poteſt, tum uerò illã quę eſt ex forma affectæ partis. Arteriæ ſiquidem maiorem celerioremq́ꝫ & frequentiorẽ ea ratione ꝙ febris adſit, pulſum edũt: duriciem uerò ac contentionem iunctam habet, quia pars ea que phlegmone tenetur, neruoſa eſt. Igitur tum hęc ſymptoma mẽbranam ſubcingentẽ inflãmatam, tum & unum præterea aliud neceſſariò concomitantur: decubitus nimirũ, qui uel in affecto, uel in oppoſito loco leuior eſt, uel in utroq́ꝫ par. Quũ enim duplex ſit ea membrana quæ coſtas uelat, ſi ea pars quæ exterius oſsibus hæret, ualidè laboret, facilius in latere decũbunt oppoſito. nam ſi in morboſum decumbunt, compreſsio moleſtiã affert. At ſi interior (quod etiam euenit frequentius) uehemẽtius dolent, ſi in oppoſitũ latus reclinẽt: quippe cùm penſilis redda tur inflãmata particula. in morboſum uerò minus, cum nec ab oſsib. prematur, nec etiam quaſi ſuſpenſa pendeat, ſed potius ſit ab utroq́ꝫ incommodo immunis. Quòd ſi utrinq́ꝫ ea membrana afficiatur, par in utroq́ꝫ latere decubitus eſt. Sed ꝙ dolor nonnullis ad clauiculam perueniat, alijs autem ad pręcordia, partim ex affecta parte ſuam habet cauſam: partim etiam hoc eſt inflammationis ſymptoma, dolorem inquam diffundi. ea quippe membrana & ad iugulum uſq́ꝫ aſcendit, & pręterea uniuerſum occupat ſeptum tranſuerſum. unde ſi inflammatio in ſupremis illius partibus excitetur, deorſum conuelli clauicula uidetur: ſi in infernis, dolor præcordia pertingit. Et proinde exigua erit inflammatio, & ſecundum partes coſtarum medias, ſi in neutram deueniat partem. alioquin enim, quũ maior fuerit, neceſſe erit in partem utrãq́ꝫ cõcedere. Quòd uerò tenuis quid & purulenti ex inflãmata particula refudet & effũdatur, tum ex ipſo morbo prodit, tum ex ipſa parte: ſicuti omnibus ſecundum os inflammatione laborantibus accidit, atq́ꝫ etiam ſecũdum oculos. Suboritur enim inflammatio ex humorum influxu: & partes hę non perinde ac cutis denſæ compactæq́ꝫ ſunt, ſed raræ potius. Vnde quum multus tenuisq́ꝫ fuerit is humor qui in partem inflãmatam irruit, rarior uerò particula: plurimũ eſt quod effluit. econtrariò uerò, quũ exigua & craſſa fuerit fluxio, corpusq́ꝫ

præterea

præterea densum: minimum erit. at minimum id tussim quidem incitabit, ut tamẽ nihil inde expuatur: quemadmodũ si copiosum fuerit, tussiunt plurimùm, nec parum etiam expuunt. Porrò ut est ab hoc affectu tussis inseparabilis, ita screatus à tussi illũ plurimùm consequitur: non tamen sic, ut etiam seiungi non possit. Quod sputo reijcitur, necesse est aliquo semper esse infectum colore: attamen non semper eodem, quippe quum nec excrementũ in inflãmata parte conclusum semper eiusdẽ sit naturæ. Etenim quum sanguinolentum fuerit, aut biliosum, cuiusmodi semper ferè ea fluxio est, quæ pleuriticis phlegmones fomentum pręstat, à succo detento in inflammata particula sputum colore inficitur: rubro quidem, si sanguineum id fuerit quod in membranã influit: flauo autem, si biliosum. Cæterùm si pituitosus primũ sit is succus, qui & conclusus demũ putrescat, atq; sit deinde in causa fluxionis phlegmonem gignentis: tunc spumosa excreant. Sed quandoque uel niger erit screatus, quum biliosa inquam, sanguinolenta'ue fluxio assatur. Quare omnia hæc cum partis affectæ, & ipsius affectus dignotione, etiam fluxionis indicant differentiam. Ex his ergo quæ dicta sunt, perquàm manifestum est, necessarium fore ad affectus loci'que affecti inuentionem, tum uniuscuiusq; affectæ partis substantiam, tum eiusdem etiam cum alijs uicinis nouisse communionẽ. Nec minus præterea constare arbitror, si etiam nunquam de hoc mentionem habuissem: nihil referre, si positũ dicamus, aut cõpositionẽ, aut cum uicinis societatẽ. Ad hæc quoq;, ex illis quę diximus liquere potest, esse necesse omnẽ cuiuscunq; particulæ actionem functionemq; callere, & insuper morborũ ac symptomatũ genituras, proindeq; & morborum effectrices causas. Nimirum uidentur hæc omnia ad noticiam affectarum partiũ, unà cum ipsis illarum partiũ affectibus, ac etiam ad morborum illarũ differẽtias pernoscendas summè esse necessaria. Atqui & magnitudo, & mores morbi cuiuscunq; ex his ijsdem cõprehenduntur. magnitudo quippe ex affectionis quæ in illis est, & symptomatũ pręterea illã consequentiũ magnitudine: mos, à morbi differẽtia, symptomatibusq; insequentibus. Vt statim in exemplo proposito, perniciosissimus succus est atra bilis, quũ alijs præualuerit, utpote quæ præ cęteris & corrodat, & maligna admodum sit, concoctuq; difficilima, & ad purgationẽ ineptissima, atque etiam plurimũ indicet calorẽ, à quo sit per assationẽ genita. Omnium mitissimus sanguis, qui & dulcissimus sit, & ad concoctionẽ facilis: mediũ in simplicitate & malignitate reliqui duo locũ obtinẽt. Ex symptomatibus, ut nihil omnino expuere perniciosum est, partim quòd significet fluxionẽ in phlegmone quasi deuinctã teneri, partim uerò quia ea uniuersa interius contẽta corrumpet: ita screatus facilis & procul à labore, saluberrimus est, & longè etiam magis si cõcocta expuantur. Alioquin & pulsuũ symptomata morborũ mores ostendunt: & præterea quæcunq; alia ex consensu solent consequi, sicut deliria, somni immoderati, fastidia, lotia, & alui deiectiones hoc aut alio modo factæ. Erit igiť his omnibus quæ recẽsuimus exercitatio adhibenda, si eam facultatem assequi uoluerimus, qua facilè possimus affectas partes morbosq; ac eorum mores, magnitudinem & differentias comprehendere. Ab illis eisdem autem locis erit & ratio præsagiendi euentus morbi petenda, & insuper commodi usus remediorum. Præsagia etenim & medicum ab omni mortis culpa immunem reddunt, & ægros ad obtemperandum faciles, occasionemq; remediorum præmonstrant. At uerò quod aptus remediorum usus id sit, quòd in arte pręcipuum est, & propter quòd is sermo uel uniuersus institutus sit: omnibus iam satis constat. Et nos non multo post docebimus, quo sit ex his qui nuper recensuimus, comparandus modo. nunc enim his quæ exposuimus, finem imponere constitui. Nempe exemplo unico tum morborum ipsorum, tum uerò earũ etiam quæ ab ipsis detinentur partiũ, dignotionẽ explica-

explicauimus. Sed si & alterum quid nō dissimile addiderimus, nihilo se res deteri us fortassis est habitura. Excrementorum enim species multorum noticiā affert, quæ tamen & corpus secum connexum habet, è quo illa excerni uidemus, ita ut ex his ambobus simul coeuntib. una stabilis euadat indicatio. Quippe quia si mēbraneum, uerbi gratia, corpus excernatur, quod quidem ad id spectat quod cernitur, insinuat partem quampiam exulcerari, quæ in superficie naturam habeat membranæ: quæ tamē ea sit, definitè distinguere nequit. Locus autem per quē fit excretio, poterit nos ad affectam partem conducere: utpote quia si per inferiorē aluum deijciatur, ulcus in intestinis indicabit: si per superiora uomatur, in uentriculo: si per tussim excreetur, membranas quę asperas uelant arterias, abradi monstrat. sicuti si mingatur, uel uesicam, uel pudendi meatum. Sed non parum pręterea ad rem faciet, ea quę primario affectu, ab his quę per consensum laborant, distinguere: antecessione inquam, & consecutione, magnitudine & paruitate, insuperq́ causarum accessione qui utricq́ solent officere. Vnde multi malè se habente uētriculo, cerebro in consensum adducto, in eorum symptomata illapsi sunt qui atra bili uexantur: aut si consentiant oculi, eorum qui suffusione. In his tamen si diligēter quis obseruauerit, has affectiones tum cruditates, tum uerò excrementa in ore uentriculi collecta cōsequi inueniet; & proinde eas ex his quę uentriculū lędunt, excrescere: ex illis uerò quæ illi conducunt, sedari. Cæterùm non est in præsenti à nobis institutum, uniuersam affectarum partium rationē exactè explicare, quemadmodū nec cuiuspiam partis alterius huiusce artis: sed solùm inueniēdi methodum insinuare, & quā cum fine istius artis cōnexionē habeat. Etenim erit deinde necesse, ut quisq́ perlectis nostris Cōmentarijs, in eis sententijs quas in illis omnib. cōplexi sumus, multifariam se exerceat. Itaq́ ad prædictas methodos iam accedam, addito tamen eo quod præsenti negocio necessarium est. Arbitrēre hoc etiam loco formam rei reperiri, quam deinde ut materijs accommodaueris, totam habebis substantiam. Porrò quū particulatim omnia fuero persecutus, sicuti nunc paucis quibusdā exēplis actum est, erit tibi & hæc pars integrè constituta.

De remediorum usu, qui ex signis diagnosticis petendus est. CAP. XIX.

Reliquum autē est ut monstremus, quàm sit necessariū ad cōmodum remediorum usum, partis quā curaturi sumus, substantiā exactè cognoscere, figuramq́ & positum. Substantia enim affectus primos qui in temperie consistunt, quantum à naturali statu aberrarint, ostendit: quātumq́ calefacere refrigerare' ue, humectare aut exiccare oporteat. Figura uerò morbos quæ ad ipsam spectant, de quibus sermo in superioribus habitus est, simulq́ & eorum indicat magnitudinē: quippe quùm eo maiores censendi sint, quò à naturali modo magis recesserint. & insuper ex ea comprehenditur, quousq́ sit opus ad ea quæ ex natura sunt, per contraria reducere. Sed hæc ex proportione morbis in intemperie respondent, obstructiones autem & inculcationes ad hoc genus pertinent. quod uerò pręcipuè ac peculiariter indicat, est euacuationis modus, quæ fit per oscula & figuras, quas membrum id assecutum est, quod nobis curandum offertur: aliquam tamen habet hac parte communionem cum illis indicationibus quæ à positu prodeunt, de quibus iam agemus. Vt autem superuacaneum uidetur, ea nunc explicare quæ in istis eandem uidentur ad cognoscendam uel magnitudinem uel quantitatem usus auxiliorum proportionem seruare: ita illa quæ eximia peculiariaq́ sunt, exponenda sunt, posteaquam ea ad curationes indicationibus quæ à forma prodeūt mixta, magno sunt usui. Sed hac etiam parte paucis quibusdam exemplis, ut tantūmodo methodum monstremus, sermonem expediemus. Obstructio sanè affectus quidam est partium instrumentariarum, qui in primis iecori, ob eius tum structurā, tum uerò

actionem,

actionem solet esse molestus. Nam uenæ quæ à portis deriuantur, per uniuersam huius uisceris partem cauam dispertitæ: tandem illis quæ in gibba sunt, per quędã oscula sensum effugientia committuntur. Vniuersum uero alimentum ex uentriculo in hũc unum locum, qui ob id ipsum quod nuper diximus, Portę appellatus est, refertur. Quemadmodũ enim in urbes nihil nisi per portas inuehi potest: ita nihil potest in iecur deferri, nisi prius in hunc feratur locũ. unde in totam iecoris partem cauam subinde distribuitur, inde uero per eos quos diximus terminos in gibbam. Quare nil mirum deinde fuerit, si uiscus hoc & ob uiarum angustiã, & ob cõpiam pertranseuntis substantiæ, assiduè obstructionib. arripiatur. Ei igitur curatio erit adhibenda priusquàm eæ nimis excrescant, febrisq; accendatur, tum cibis tum medicamentis attenuantibus administratis: quia quum multæ factæ fuerint, non modò hæc non satis erunt, uerùm & uacuatione erit opus. quę deinde quo loco facienda sit, membri figura & eiusdem situs indicabit. Vnde ab his promoti, si quid in iecoris cauo comprehensum sit, per intestina detrahimus: si in gibbo, urinam cientibus uacuamus. Eodem etiam modo à membri figura situ'que docti, ea quæ in pulmone & pectore collecta uacuatione egent, per tusses purgamus: ad nares autem deducimus, quæ in cerebro. Sed non minus à membri figura & situ desumpta est ratio sanandi partes à phlegmone detentas: siquidem horum quoque primus scopus est euacuatio succi, qui in inflammatum locum decubuerit. At quo illum modò euacuare expediat, ipsa illarum partium quæ detinentur natura indicat: & hinc adducti, fluxiones quæ in coxam decubuère, sectis uenis in poplite aut talo euacuabimus, & eas pariter quæ in utero comprehensę sunt: quæ in thorace aut pulmone, per uenam cubiti interiorem: sicut eas quæ in capite & collo, per humeralem. Ea quippe euacuatio facillimè & optimè fit, quæ per uenas uicinas & affines parti affectæ fiat. Porrò & suam ex morbo habet indicationem, in halitum difflandum esse quod in inflammatum locum defluxit: situs tamen ipsius affectæ partis uarium deinde insinuat particularium auxiliorum usum. Etenim quæcunque in summa cute ortum habent, tale expôscunt difflatorium medicamentum, quale ipsa indicat inflammationis species. Sed quæ in profundo, eo egent acrioribus medicamentis, quo magis ab exterioribus recessère: ut quando que cucurbitulis utendum sit, si sedem plurimùm profundam habeant. quod tamen inflammationibus in summa cute quàm maximè aduersarium est. Nec minus etiam situs loci id exquirentis animaduertendus est, quando astringente medicamento fuerit opus. Quia si medicamentum astringens ipsum potest eò peruenire, nil uetat quin id administremus: Sin minus, cauendum tunc, ne humorem in locum affectum ex uicinis partibus impellamus. Quare uel aliquid immiscendum est astringenti medicinæ, quod eò uim illius perducat: uel ab illius usu erit abstinendum. Et proinde non parum quosdam offecisse noui, qui sanguinem è pulmone excreantibus, uniuerso in orbem thoraci astringentia medicamenta adhibuère. præter id enim, quod uis astringentis medicinæ nequit pulmonem attingere: sanguinem insuper qui in thorace est, ad hoc ipsum uiscus propellunt. Nempe ista quæ hactenus dicta sunt, quantum ad præsens quidem negocium pertinet, satis esse existimo. Quare ut hoc unum illis addidero, hanc inquam Methodum formam tantum huius negocij continere: ad alia transibo. Scientiam etenim & disquisitionem, quæ sigillatim de unaquaq; parte habenda est, & est ueluti uniuersa huiusce rei substantia, in alijs libris transegimus.

De signis prognosticis. CAP. XX.

MOx itaq; de pręsagio sermonem instituemus, utpote quòd non modò ad alia quædã, uerùm & ad curationem quàm maximè uideatur utile. Nimirũ quis

quis prȩsagiendi artem primùm cõstituere proposuerit:is necesse habet antea examinasse,an sicuti cuilibet rei animatȩ propriũ uitæ spaciũ ex natura constitutũ est: ita morbis etiam omnibus,ut nullo deinde pacto,si sit alicui illorum à natura tempus duorum mensium præscriptum, posśit is quatuor diebus absolui: an uerò & in longum protrahi,& celerrimè finiri posśit. Verùm quia iam plures ex medicis, eorum quæ euentura sunt præsagitores euasere: ab ipsis etiam uulgaribus non amplius in quȩstionem uertitur,posśint'ne uẽtura prænosci, an secus. Sed potius perinde ac si hoc iam sit constitutũ à medico,sciscitantur,quo tẽporis spacio morbus soluendus sit. At fortasse res nostra non est deterius habitura,si supponamus,nos nunc primùm præsagitricem artem constituere. nam & alia omnia hoc pertractauimus modo. Profectò hoc unum,si quæpiā præsagitio futura sit,in primis necessarium est,esse nõnulla quæ certò sint futuro tempore uentura.Sed deinde quȩrẽdum est,quæ'nam ea sint, & quot: quia non omnia quæ ægrotanti sunt euentura, necessariam habent generationẽ. Tumultus enim noctu excitatus , latratus canũ, molesta nuncia, sȩpe insomnes reddũt ȩgrotantes:tamẽ nullũ horũ aut necessariò fit,aut certò præsagiri potest.nunquid igitur ea saltem quæ ex ipsa illius morbi ratione proficiscunt, habent ut & necessariò fiant, & certò prænosci posśint:uel nec ea quidẽ omnia, cùm repentè posśit superfluens quispiam succus in corpore, interius in partem aliquā uitæ necessariā defluere: posśit etiam contrà ab aliqua principe parte , ad ignobiliorem impelli. & subinde erit necesse , ut is qui in principem partem fertur, extremum periculum:qui uerò ab ea repellitur, repentinam inopinatamq́ꝫ ægrotanti salutem præstet. Vnde in hisce statibus hoc tantum prænosse datur,quòd dubij fallacesq́ꝫ sint;quò tamen terminaturi sint,exquisitè definiri nequit. Veruntamen quum excrementa in locum aliquem decubuerint,nec defluāt amplius,sed potius ibi detineãtur: aliquis in his dabitur nobis præsagiendi locus, quum probè nouerimus plures esse facultates, quibus natura animal gubernat,atque etiam quȩ'nam ipsarum sit differentia:prȩtereaq́ꝫ quòd excremẽta omnia,quȩ in uniuerso animante cum sanguine deferuntur, nisi immoderata nimis copia cõstent, definitũ & ipsa sigillatim tempus habent quo concoquantur. Vnde si cuiuscunque humoris naturam exquisiuerimus:iam artificiali quadam coniectura concoctionis rationem cõprehendemus,si tamẽ cætera omnia circa ȩgrotantem rectè tractentur. Quoniam quicquid in his erroris commissum fuerit:erit deinde in causa ut uel serius morbus soluatur,uel mors celerius aduentet. Et huiusce rei memoria in hoc uniuerso sermone prȩ omnibus alijs seruanda est:quòd solȩ nimirũ prȩsagitiones euenturæ sunt, ubi & qui curat medicus fuerit præstantisśimus, & qui rectè curet,æger'q́ꝫ in nullo delinquat. Alioqui enim ridiculus esset, qui arbitrarẽ tale esse medicorum præsagium,quale profitentur uates.hi enim hominem(ita dicā)nono die liberandũ autumant:nec adijciũt,si omnia rectè agantur:imò & idipsum se præsagire pollicentur,nimirum futurum'ne sit ut omnia rectè an perperàm circa ægrotantes peragantur. At medicus non eo prædicit modo,quæ futura sint: sed nouit ipse,quòd si omnia ut par est,expediantur,morbum septimo, uerbi gratia,die solutum iri. quòd si error quispiam accedat,& is exiguus: excidet id ex septimo in nonum:si uerò maior, in undecimum:si adhuc maior,in quartum decimũ: & poterit etiam ita maior fieri,ut pro certa salute periculum mox afferat. Medicus quippe his duobus,morbo inquam & naturæ quasi colluctantibus,animum semper intendit: atq́ꝫ dum discernit quod'nam horum robustius sit,primùm quidem suum de salute hominis aut interitu præsagium depromit:deinde uerò quo alterũ altero fortius esse nouit, eo & illius præfinitum tempus agnoscit. Nec mirari quisquam debet,si quis robur utriusq́ꝫ rectè perpendens, uicturũ tandẽ deprehendat:

quum

quum uideamus quamplures gymnastas ex primis statim motionibus, quib. contra se inuicem luctantes feruntur, uicturum prænunciare & sæpe ante partam uictoriam, quodq; celerrimè aduersarius succumbet, hoc autem agunt, cùm alterum altero non parum uiderint ualidiorem. Quare ex alia nulla exercitatione salutem aut interitum prænoscet, prętérquàm ex exacta uirium tùm morbi tum naturę noticia: ex qua etiam utriusq; præfinitum tempus exquirit. Vt enim celerrimè soluendus morbus est, cùm ualidiores uires fuerint: ita citò mors aduentabit, si hæ imbecilles sint, morbus uerò fortis. Sed magnitudo excessus horũ tempus indicat, quo hæc futura sunt. Ab his igitur scopis habet medicus, ut futurorũ sit pręsagus. Qua uerò exercitatione ipse hos pernoscat scopos, in libris nostris De iudicijs abundè actum est: tamen in his quoq; in præsentiarũ uniuersalem Methodũ, ut in alijs omnibus factitatũ est, explicabimus. Naturę robur ex proprijs illius actionibus cõprehendes, in primis autem ex pulsu, siquidem is est uitalis facultatis opus: morbi uerò magnitudinem, ex suis symptomatibus. At quatenus alterum altero præualeat, concoctio cruditas'ue monstrat, quas subinde ex proprijs agnosces excrementis. quæ enim in uentriculo conficiuntur, deiectiones monstrant: quę in uasis, lotia: quę in toto corpore, sudores. quo etiam modo reliquę omnes se habent, quę in una quapiam uel pluribus particulis eduntur. nam quæ in thorace aut pulmone, ex his quæ tussi rejciuntur: quæ in uesica aut renibus, ex his quę cum urina deferuntur. Cæterùm ea quæ dejciuntur, uires quoq; partis cauæ iecoris, & mesenterij quomodo se habeant, ostendunt: ita & reiecta per uomitum, uentris superioris stomachiq;: & quę per palatum, nares'ue, aut aures, quo cerebrum modo sit affectum, insinuant. Quibus omnibus hoc commune est, nunquam morbum solui posse, nisi prius in excrementis concoctionis signa conspiciantur. Vnde siue aures malè habeant, siue oculi, siue fauces, & ut summatim omnia dicam, concoctiones omnes celerem crisim, salutisq; securitatem indicãt. Cruda uerò incõcoctaq;, & ea præterea quæ in prauos uertuntur abscessus, uel nullam crisim, uel labores, uel prolixum tempus, uel mortes, uel recidiuas nunciãt. Hæc uerò quantum ad negocium præsens spectat, sufficiant. nam particulatim omnia sunt pertractata in libris proprijs, nec illis quidem exiguis, utpote qui uniuersa ferè complexi sint theoremata: in quib. sunt qui De pulsibus, quiq; De iudicijs, Decretorijsq; dieb. sunt inscripti. in his enim tribus Commentarijs ea explicantur, unde quisque in primis præsagire potest. Iam igitur mihi uidetur, uniuersam curandi Methodum ad finem peruenisse.

De præseruatione siue correctione corporis neutri Decidentia. CAP. XXI.

VErùm quoniam operępretium insuper est, eos procurare qui à morbis euasere, ut uires recuperent: & præterea ut hi qui in morbos procliues sunt, custodiantur: atq; ut ij qui prospera & inculpata fruuntur ualetudine, conseruentur: reliquum est, ut de his quoq; tribus huius artis partibus quæ supersunt, constituendis, sermonem, quàm breuissimum tamen, habeamus. Itaq; quum sit à nobis dictũ superius, tria esse eorum uniuersa genera quæ præter naturam sunt, causas, affectus & symptomata: pars quæ ualetudinem tuetur, eam Græci Prophylacticen appellant, si modò illa sit pars artis huius, circa primum uersatur genus. Etenim si humorum uel copia uel prauitas, si obstructio, si uis aliqua corrumpens in corpore suboriatur: homini periculum affert, ne quamprimùm in morbum illabatur: quandoq; uerò, ne extremè periclitetur. Verùm sæpe hæ causæ sunt cognitu difficiles, quum nullam ferè homini molestiam præstent. statim enim morsus canis rabidi nullum peculiare signum, antequàm propè instet rabies, in corpore reliquum est: adeò ut medico necesse sit has ex ægrotantibus causas sciscitari, & quid cuiq; eue-

nerit, cùm tamen humorum copia, aut eorundẽ prauitas, aut aliquẽ excitet in corpore tumorem; aut quodpiã uiscus oppilet: potest id ex symptomatib. quibusdã intelligi, quæ mediũ inter ea quę in sanis reperiunt, & ea quæ ægris eueniunt, locũ seruant. quippe cùm ea quę sanis insunt: ex natura sint omnia, & omni culpa uacẽt: quę ægris, ut præter naturam sunt, ita etiã culpanda. Quæ uerò media sunt, ad genus quidẽ eorũ quę morbis eueniũt attinent: uerũ adeò sunt magnitudine exigua, & uirib. imbecillia, ut nondum solitas uniuscuiusq; actiones lædere queant. Neq; enim si dolor quispiam aliquem uel secundum caput, uel secundum aliam quampiam partem infestet, statim tantus est, ut hominem lecto decumbere cogat. Neq; si grauedo præterea caput, aut pręcordia, aut alias partes, uel alia uiscera detineat, tanta etiã erit, ut à consuetis functionibus desistere faciat. Corporis etiã tumor, aut gracilitas, decoloratio, pigritia in motu, procliuitas in somnũ, uigilia, nõ sufficiunt ut ab actionibus quibus ad uitæ munera peragenda egemus, detrahant. Nec cibi appetentia uel nimis adaucta, aut omnino ablata. nam & hæc ambo ad corpus pertinent nõ integrè sanum: sicut nimia siti torqueri, uel eius esse nimis expertem. Secundum stomachum etiam uel uentrem morderi, aut se lassum sentire: quippe hęc est ferè eorum formula, quæ illis contingunt qui procliues sunt in morbos. Affectiones uerò quę ea pariũt, per contraria (ut iam à nobis dictum est) sunt corrigẽdæ, si tamen hæc res ita summatim tractanda est: sed si particulatim transigenda, omne exuberans uacuandũ est: ut tamen prius distinguenda sit exuberandi ratio, quantitate'ne, an qualitate, aut etiam utraq; ratione exuberet. & quod deinde potest iterum ad naturalem statum redire, per contraria alteretur: ut quod crassum lentumq; est, attenuetur: quod tenue, crassius reddatur: ambo uerò pariter concoquantur. obstructiones præterea aperiantur, quæ toto sui genere sunt pręter naturam, qualia uenena uirusq; animalium: tum alterentur, tum euacuentur. Alteratio autẽ per contraria fiat, quæ uel tota substãtia aduersantur, uel altera, uel utraque qualitate: sed euacuatio, per ea quæ uim attrahendi habeant. Cæterũ hęc omnia quibus sint peragenda remedijs, ab ipsis affectibus petendũ est. Quia si omnes pariter humores accreuerint, maxima atq; præcipua eorum euacuatio erit per sectam uenam: deinde uerò per frictiões, per exercitationes, per balneas, per inediã, nec alia etiam erit euacuandi ratio, quum solus sanguis modum excesserit. Vbi aũt flauæ uel atræ bilis succus, uel serosus humor: opus quidem est euacuatione, non tamen eodem modo. etenim si ea excrementa in primis uenis contineantur, purganda sunt his quæ aluum cieãt. Si in alijs, & tenuia aquosaq; fuerint, per urinam: si biliosiora, per purgatoria. Veruntamen possunt & tenuia alui deiectione purgari. Sed quæ totum corporis habitum occupauerint, cùm tenuia fuerint: aut sudore aut medicamentis, quæ cuti applicita uim exiccandi habent. quum uerò biliosa: primùm quidem purgatione egent, mox & euacuatione per cutim. At quum pituitosus humor exuberauerit, si salsus sit, purgandus est: si acris, experiundum, si possumus, naturæ ad illũ concoquendum opem ferentes alterare. & longè etiã magis, si dulcis sit: erit enim concoctu facilior. Porrò ad concoctionẽ conducit quies, moderata calefactio, cibi parcus usus, boni tamen succi, potius uini parum calfacientis: exiguum uerò colorem & moderata frictio inducere ualet, & usus præterea moderatus aquarum calidarum, insuperq; cibi ac medicamenta temperatè calefacientia. Obstructiones remouent, quæcunq; uel esculenta, uel poculenta, uel medicamenta attenuant. Verùm qua deinde ratione sint harum materię reperiendæ, aut iudicandæ: exposuimus nos in eo libro quem De facultatibus simplicium medicamentorum, & in illo etiam quem De attenuante uictu inscripsimus.

De refectione corporis neutri conualescentis, & conseruatione corporis sani. CAP. XXII.

IAm igitur tempus erit, ut ad illos qui à morbis reficiũtur transeamus, in quibus nulla causa nullusq; affectus præter naturam, sed sola est gracilitas, simulq; & uirium imbecillitas. Et proinde qui se hoc habent modo, in naturalem habitum reducentur, si moderatis cibis & motionibus reficiantur & corroborentur. Et nos in libris De tuenda sanitate, materias quibus hi & alendi & exercendi sint explicauimus. Ne tamẽ aliquid huic uideatur deesse sermoni: non modò partis refectricis quæ Analeptice dicta est, sed uniuersi etiã salubris negocij Methodus hoc quoq; loco repetenda est. Primumq; cuius nam ea sit generis, num ad id pertineat quod præsentia tuetur: uel eo tantum à parte curatrice differat, quòd in minimis quibusdam corrigendis uersetur. Si enim corpus, suum diutius statum seruaret: nulla esset arte opus quæ illi præesset. hoc quippe in causa est cur scientia egeat, cuius curę demandatum sit, quia uitiatur: hæc in eodem semper statu persistit. Nempe si solum hoc illi eueniret, ut in halitus difflaretur, & subinde inaniretur: cibus potusq; defectum illum reficere posset. At quia humorũ copia, prauaq; præterea gignunt excrementa, exercitationibus egemus. earum enim munus est, superfluentem quidem succum euacuare, excrementa uerò concoquere & expurgare, si tamen causæ omnes uitentur quibus uitiari potest sanitas: refrigeratio inquã, æstus, lassitudo, cruditas, ebrietas, uigilia, mœstitia, ira, furor, & alia omnia quæ in eodem cum his ordine sunt. Neque enim ea sigillatim recensenda sunt, quum argumentũ id quod à principio est à nobis institutum, iam ferè absolutum sit. Nam institueramus omnes partes medicinæ non quidem exactè disquirere: sed tantummodo monstrare, medicinam non secus ac alias artes, suam à finis notione constitutionem esse sortitam. Quod ubi est à nobis confectum: reliquum est, ut uniuersam medicinæ rationem per capita resumamus, illiusq; cum cæteris factiuis artibus cõparationem.

EPILOGVS.

EGITVR medicina est è numero artium factiuarum, non tamen ut ædificatoria, uel fabrilis, uel textoria: sed ut ea potius quæ labefactatas ædes instaurat, uel dilaceratas uestes consuit. Harum enim uerò, ut monstrauimus, duplex est constitutio: nonnunquam enim ipse sibi artifex exemplum confingit, quandoque autem quod exterius consistit contemplatur. Medicinam uerò nos ostendimus esse in hoc secundo genere, utpote quę minimè sibi ullum confingat exemplum, sed omnia ex corporis dissectione contemplatur: & subinde, si quid uitiatũ sit, corrigere conatur. Sed hoc differt ab alijs artibus, quod maxima ex parte se naturæ operanti ministram præstat. tamen medicus uniuersam eam cõtemplationem, unde ipse excitatur ut minister correctórue euadat, similem habet cæteris omnibus factiuis artibus, qui et similarium partiũ substantiam nouit, & modum generationis instrumentariarum, pariterq; affectus inuenit, scoposq; præterea eorum curandorum inuestigat.

GALENI DE CONSTITVTIONE ARTIS MEDICAE FINIS.

CAPITUM LIBRI CL. GALENI DE CONstitutione Artis medicæ, INDEX.

ERRATUM.

In penultima pagina Præfationis, circa finem ferè, pro, contradicendi characteres: lege, contrarios dicendi characteres.

RERVM ET VERBORVM IN COMMENTARIIS AD LIB. GALENI DE CONSTITVTIONE Artis medicæ, INDEX.

ordinis

Vnio,

I N D E X.

F I N I S.

IN GALENI LIBRVM, DE CONSTITVTIONE ARTIS MEDICÆ, ΔΙΑΛΥ'ΣΕΙΣ.

ΠΡΟΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ.

QVa uia & ratione in aliorũ scriptis dissoluendis utendum esset, in προλεγομένοις Artis medicæ exposuimus. Eadem in præsentia quoque nitamur, in enarrãda Constitutione artis medicæ Galeni. Obseruemus igitur tum

Nomen, siue Inscriptionem. Est autem talis:

GALENI. Galeni hunc esse librum, indicat tum τάξις, tum λέξις. Ordine enim utitur resolutiuo, cuius post Aristotelem à solo Galeno exemplum hîc habemus Character uerò siue stylus Galeni proprius est: breuitati quidem studet, tamen propter cõtextum orationis perpetuum, & causarum ex se inuicem dependentiam, prolixior est, quàm in Arte medicinali: nam ordo resolutiuus breuitatem & distinctionem non tam religiosè affectat, atque definitiuus. Taceo interim Galeni innumeras ferè authoritates, & alias quasdam coniecturas, ex quibus librum hunc Galeni esse, manifestè conuincimur.

DE CONSTITVTIONE. Quemadmodũ essentia rerum duplex est, altera in ipsis rebus, altera in mente humana intelligente: ita quoque essentiæ huius declaratio, quã διδασκαλία efficit, gemina est. Alia enim naturæ ductũ obseruat, à causa materiali ad formalem atq; finalem progrediendo, ex quibus tandem cõpositum emergit: & quia hic naturæ progressus compositio ἡ σύνθεσις dicitur, progressus quoq; doctrinæ siue ordo dicitur Cõpositiuus, & Naturalis. Alia uerò humani intellectus normã sequitur: idq; rursus duobus modis. Nam rerũ essentiã naturalem intellectus cõtemplatur uel per primam apprehensionem: sic inter causas ea quæ naturæ ordine erat ultima in opere, finis scilicet, prima est tum in intellectu et intentione agentis naturæ, tum in apprehẽsione hominis intelligentis. Quare sicuti effectus naturæ agentis Cõpositio dicebatur, ita effectus naturæ ratiocinantis seu intellectus apprehendentis & cognoscentis, Cõstitutio, σύστασις appositè nominatur: proinde etiam ordo erit Constitutiuus, siue Resolutiuus, propter finis resolutionem, ex quo aliæ causæ deducuntur. Vel cõtemplatur rerum essentiam per secundam apprehensionem, quia causas illas intellectus considerat, quid commune cum cæterarum rerum causis, quid proprium habeant: hinc tandem genus & differentiam deducit, ex quibus Definitio consurgit, & ordo Definitiuus dicitur. Compositio ergo, Constitutio, & Cognitio siue intellectio, sunt ueluti formæ internæ triplicis ordinis. Itaque constitutio hoc in loco nil aliud sonat, quàm Resolutiuum ordinem, qui fundamenta artis proponit, hoc est, finem ipsum, ex quo deinde reliquas causas cum suis effectibus colligit. Quod quidem hoc in libro Gal. facit.

ARTIS MEDICÆ. Duos alios libros scripsit Gal. De constitutione omnium artium: quibus hunc tertium exempli causa subiunxit, ut quæ illic generaliter dicta erant, hîc in specie declararet. Obseruandum autem, quòd artem definitiuo ordine traditam, simpliciter ἰατρικὴν uocauit, κατ' ἐξοχὴν scilicet: quoniam definitiuus ordo non componit tantùm, ut compositiuus, nec constituit tantùm, ut resolutiuus, sed utrunque præstat, summa cum breuitate, quæ docenti partter & discenti commodissima existit. Artem uero resolutiuo ordine explicatam, uocat σύστασιν τέχνης, quoniam inuentioni magis, quàm doctrinæ inseruit.

AD PATROPHILVM. Vni dedicat, quod omnibus usui esse possit. Sic Aristoteles Ethica ad Nicomachum filium. Et sæpe aliàs Galenus ad amicos scribit, non patrocinij causa (quod hodie à multis magno suo merito fieri uidemus) sed doctrinæ, ut doceat simul & sophistas opprimat.

Rem quæ tractatur, tũ

Respectu aliorum librorum, quos de medicina Gal. scripsit. Vt Ars medicinalis, ita & præsens liber, per se solus legi potest atque debet: uterque enim totam artem comprehendit, quæ ex alijs postea libris declaranda uenit. Ars tamen medica etiam rudibus adhucdum prælegi potest: sed Constitutio artis ijs tantùm, qui artem iam didicerunt, & præceptorum artis inter se connexum atque consensum explorare cupiunt Respectu uerò duorũ librorum, De constitutione omnium artium, hunc librum tertium illis esse annectendum ex Galeni proœmio discimus, non ratione ordinis, sed διὰ τῆς διδασκαλίας: nam generalia duorum librorum præcepta, in hoc tertio libro, medicinæ exemplo, declarantur.

Per se, quatenus docetur. Docetur ordine. Ordo duplex: tum

Rhetoricus. Sic totum librũ diuidimus in

- Proœmium, in quo rationem sui instituti explicat.
- Tractationem, in qua ex fine reliquas causas, ex causis effectus deducit.
- Epilogum, qui ἀνακεφαλαίωσιν totius tractationis continet.

Logicus, qui ex rei tractandæ natura pendet. Cõstituere uult artem. Constitutio ex causa potissima fit, quæ reliquas comprehendat, nimirum ex fine. Finem igitur assumit, eundemq; resoluit. Quare ordo est Resolutiuus, plenus artificij, & Aristotelicæ λύσεως.

PROOEMIVM, SEV PRIMA PARS TOTIVS LIBRI, IN QVO GALENVS INSTITVTI SVI RATIONEM EXPONIT.

PROOEMIVM Gal. præmittit: quod pars essentialis operis non est (neq; enim aliquid ad rei tractandæ naturã confert) sed tantùm ratione personarum adhibetur. Quare non logici ordinis, sed rhetorici, pars prima existit. Est autẽ οἰκεῖον, ut uocant Rhetores: quamuis enim à re tractanda non sumitur, sumitur tamen à persona tum docẽtis tum discentis. Docet enim hoc in loco Gal. occasione medicæ artis, quam Patrophilus cognoscere cupiebat, qualis in uniuersum cuiusuis artis præceptor & discipulus esse debeat. Obseruat interim leges prooemij. Captat enim, ratione personarum, tum

Beneuolentiã. Primùm à sua persona: deinde à persona Patrophili, ad quẽ scribit, eius enim ingenium & industriã laudat. Ex quo quidem loco, per se satis alioqui claro, colligim⁹ cõditiones eas quæ requirũtur tum in

Docente. Ex Platonis enim sententia, quẽ Gal. libenter sequitur, oportet ut docens

Sciat artem quam profitetur, ὄντως, καὶ μὴ φαινομένως. Scire autem est rem per causam cognoscere.

Posit docere aliũ. Instrumentis ergo eget tum

Locutionis siue orationis. Verba, ἑρμηνεύματα τῶν πραγμάτων, ueluti materia sunt ipsius doctrinæ. Enitendum ergo, ut propriè, perspicuè & dilucidè de rebus disserat, & captui auditoris sese accommodet. Alij synopsin, alij diexodum quærũt: alij ornatam, alij simplicem orationem. Quare Grammatica omnino est necessaria, uel usu uel arte acquisita, obseruatis interim peculiaribus cuiusque artis uocabulis. Rhetoricam in philosopho non magnopere requirit Cicero: sin uerò adsit, etiam commendat.

Tractationis siue διαλέξεως, quomodo in docendo posteriora prioribus connectat. Sic ordo, uelut anima rei quatenus docetur, diligenter est tenendus. Illum docet Logica. Atque hoc est, quod Gal. paßim monet, in methodo Demonstrationis (sic enim artem disserendi uocat) optimè uersatum esse oportere.

Velit docere. Multi enim uel inuident, uel spe lucri imperitos adolescentes diu suspensos detinent, quod sophistarum proprium est. Philosophus certè uir bonus est, & ut societatis humanæ, ita etiam ueritatis studiosißimus: nec quid antiquius habet, quàm ut in pulchro parere poßit. Sic Plato in Symposio.

Discente, septem numero: de quibus inferiùs cap. octauo, uberiùs. Hîc breuiter annotemus, in discente tria necessariò concurrere: nimirum

Naturam, quam hoc in loco Diuinum affectum, & Studium ueritatis appellat: sola enim ueritatis cognitione dijs similes euadimus. Aristoteles in Topicis εὐφυΐαν uocat.

Artem. Hanc non à nobisipsis, sed à præceptoribus haurimus, tam mutis quàm uiuis. Mutos paucos, eosq; bonos eligamus, Homerum, non Chœrilum. Viuos terra mariq; inquiramus, longè maiori studio, quàm mercatores lucrum sectantur. Et quia testimonio Philosophi, δεῖ τὸν μανθάνοντα πιστεύειν, præceptoribus assentiatur primùm: postquam uerò didicerit, rationem eorundem exigat. Oportet enim artis theoremata esse uera, consentientia sibijnuicem, & ad finem artis utilia. Rectè igitur Patrophilus à Galeno rationem præceptorum & constitutionem artis petijt.

Exercitationem, ut non tantùm ἐν τῷ θεωρεῖν uersetur, sed etiã γυμνάσιον aggrediatur, & præcepta quæ didicit tum declamando disputandoq;, tum scribendo confirmet. Oportet igitur impigrum esse, & φιλόπονον, nec nisi perfecto negotio desistere ab incepto. Exemplo nobis proponamus Socratem.

Docilitatem. De qua re, quo ordine scripturus sit, declarat. Author fuit Patrophilus ueritatis cupidus indagator. Cui ut morem gereret Galenus, duos libros De constitutione omnium artium edidit, quibus tertius iste uelut exemplum particulare annecteretur. Hæc enim est ὁδὸς διδασκαλική, ab uniuersalibus præceptis ad particularia exempla progredi. Huius igitur operis

Materia, est tota ars medica, quæ constitui debet ex suis fundamentis & principijs.

Forma, est ordo, isq; Resolutiuus. Orditur enim à fine, qui omniũ causarum primus est in agentis intentione, & in cognoscentis apprehensione. Nemo porrò ante Galenum, tradidit artem medicam totam hoc ordine: ut in prooemio Artis medicæ testatus est.

Attentionem, cùm inquit: Atqui si in præsentiarum ueram artis medicæ constitutionem inuenire affectans, animo discruciaris: mox, ut ego quidem arbitror, quum resplendens ueritatis lumen fueris intuitus, maiori longè afficieris desiderio, nullam aliam uiam hac, quam tu inuestigas, præstantiorem inueniens, &c. Attentione maiori non erat opus: iam enim Patrophilus per se erat accensus, & cupiebat connexum & harmoniam artis ex suo fine cognoscere. Vnde colligimus, non à quouis librum hunc esse legendum, sed tantùm à discipulo, qui iam artem credulitate potiùs quàm demonstratione à præceptore fido acceperit.

TRACTATIO, SIVE SECVNDA PARS RHETORICÆ ΔΙΑΛΥΣΕΩΣ.

DISPOSITIO GENERALIS PARTIVM TOTIVS LIBRI, iuxta ordinis Resolutiui naturam.

Secunda pars ordinis Rhetorici, TRACTATIO est, quæ artem ipsam constituit, & totius libri dispositionẽ siue ordinem continet. Operæprecium igitur erit, generalem dispositionem iuxta capitum seriem ἐν συνόψει *proponere, ut Resolutiui ordinis natura magis elucescat. Quemadmodum ergo reliqui ordines à causis incipiunt, alius ab alia, ita quoque resolutiuus: orditur enim à fine, ex illius resolutione causas cæteras deducit, tandem in effectuum enarratione desinit. Omnia sunt connexa, & frequens* ἀνακεφαλαίωσις *paßim occurrit, quæ in huiuscemodi orationis ductu necessaria est. Eoq; fit, ut distinctio per capita nõ ita cõmodè ubiuis in hoc libro admitti poßit. Satis tamen ijs in locis esse debet, si sententia constet, quamuis contextus uerborum non semper cohærere, aut etiam nullam omnino distinctionem admittere uideatur. Distinctio enim per capita à Galeno non fuit instituta, sed clarioris doctrinæ gratia, ut partes ordinis quibusdam ueluti notis discernerentur, ab interpretibus inuenta & addita. Quare nos quoque artificium dialyseos ex partium diuersitate secuti, alio modo quàm cæteri interpretes capita secuimus. Cuius quidem ratio ut constet, breuiter totum librũ diuidemus. Ordine resolutiuo constituit artem medicã Galenus, quoniam*

- A causis *siue ab ipsis principijs orditur. Quorum tractationem Arabes Theoricam medicinã uocarunt. Verùm quia principia sũt uaria, incipit ab externis, à fine scilicet, qui reliquas causas sui ambitu comprehendit. Quapropter causæ*
  - Externæ *in hoc ordine priore loco considerandæ ueniunt. Sunt autem duæ, efficiens & finis. Efficiens quidem in arte medica duplex est, Natura & Medicus. Natura in exercitatione artis, Medicus in artis constitutione & præceptorum cognitione primas obtinet. Neutrius Galenus ex professo meminit in causarum tractatione: quoniam non tam ad constitutionem artis, quàm ad artis exercitationem uel etiam generationẽ conferre uidentur. Constituitur enim siue deducitur res ex fine: subsistit & existit per formam atque materiam: generatur simul & perficitur ab efficiente. Quare infrà cap. 16. ubi effectus medicinæ tradit, efficientis obiter meminit. Finis uerò (qui inter causas ultimus est in opere, primus in intentione: quo posito, etiam antecedentes omnes ponuntur: quo non posito, reliquæ causæ imperfectæ iudicantur) à Galeno in primo capite diligenter explicatur.*
  - Internæ *ex fine deducuntur: nimirum*
    - Materia *in qua, siue subiectũ artis, corpus scilicet humanum, non bouis aut equi. Tractatio hæc* φυσιολογίας ἰατρικῆς *nomẽ meruit, & à Galeno*
      - Proponitur, *cap. II. in quo corporis humani formam simul & materiam generaliter perstringit.*
      - Explicatur *distinctiùs. Perpendit enim materiales partes ex quibus componitur, quarum aliæ sunt*
        - Organicæ, *ex similaribus diuersis cõpositæ. Nomen habẽt ex actione. Proinde in earum explicatione fundamentũ sumit ex actionibus, quæ sequuntur formam earundem. Cap. III, IIII, & V.*
        - Similares. *Examinat similarium*
          - Materiam, *cap. VI, VII, VIII, IX, X, & XI.*
          - Formam, *capite duodecimo.*
    - Forma, *cuius merito humanum corpus à medico consideratur. Sic salubritas & insalubritas cap. XIII. declaratur. Hæc medicinæ pars* παθολογικὴ *nuncupatur. Cuius essentiæ* αἰτιολογικὴ *confert: cognitioni uerò eiusdem ipsa* σημειωτική.
- Ad effectus *seu principiata progreditur, quæ ex ipsis principijs ducuntur. Et tota hæc pars ab Arabibus Practica fuit dicta, comprehendens* θεραπευτικὴν, ὑγιεινὴν, καὶ προφυλακτικήν. *Ad quorum cognitionem requiritur summopere* αἰτιολογικὴ καὶ σημειωτική: *sine quibus nec morbũ cognoscere, nec eundem rectè curare potest medicus dogmaticus. Quare cap. XIIII.* ἀνακεφαλαίωσιν *instituit, ut præcedentibus sequẽtia ritè annectat. Porrò effectus est ipsa actio: siquidẽ medicina ars est refectrix. Actio motus est: motus pro natura mobilis uariat. Itaque pro uaria constitutione corporis humani, etiam actio circa illud uaria est. Alia enim ratio est agendi circa corpus*
  - Ægrum. *De quo à cap. XV. usq; ad cap. XXI.*
  - Neutrum. *De quo cap. XXI, & XXII.*
  - Salubre. *De quo itidem cap. XXII.*

CAPVT PRIMVM, DE FINE MEDICINÆ.

FINIS principatū obtinet inter causas: in cuius resolutione ordo Resolutiuus uersatur. Quare nunc quoque Gal. Medicinæ finem tractare instituit. Vtitur autem triplici instrumento, syllogismo scilicet, resolutione, & diuisione. Syllogismum principē proponit, eiusq́; partes per diuisionem et resolutionem explicat. Instrumenta enim logica diuersimodè complicari possunt, ita ut in arte dissoluendi parum exercitatos sæpenumero fallant. Syllogismus igitur princeps habet suam

Propositionē siue Maiorem, ut uocant: Omnis ars finem suum habet, uel in cōtemplatione uel in actione positum. Artem autem Gal. communiter sumit, prout etiā sciētiam comprehēdit. Propositionem hāc diuisiua methodo declarat. Supposito enim fine isto generali duplici, elicitur, quòd artes aliæ

Contemplentur tantùm animo, hoc est, in sola cōtemplatione & cognitione rerum per suas causas acquiescant (quem Arist. in Ethicis θεωρητικὸν βίον nuncupauit) uel quamuis ad actionem referantur, actione tamen ista animus tantùm, non corpus, perficiatur, ut in moralibus. Huc igitur omnis philosophia referri debet: quæ scientiæ potius quàm artis nomen meretur, neque nostri nunc est instituti.

Agant insuper corpore. Actionem autem seu πρᾶξιν hic intelligit cōmuniter sumpto uocabulo, pro operatione ipsa corporea, seu pro ποίησει. Diuidit artes istas Gal. ex ipso effectu, secutus Platonem in Sophista. Quoniā etsi omnes corporis ministerio agunt, tamen agendo uel

Faciunt aliquid, quod prius uel non erat, uel nō benè erat. ποιητικὰς Plato uocat, κατ' ἐξοχήν. Quæ rursus (occasione sumpta ex procemio Ethicorum Arist.) post se opificium aliquod uel

Non relinquunt, sed in ipsa operatione esse suum habent, præterea nihil. Vt ars saltatoria, ars præconum, histrionum, & consimiles.

Relinquūt, quod tempore aliquo manet. Porrò opificium istud, priùs siue ante istam operationem uel

Omnino non erat, sed de nouo nunc ab operante factum est. Ars propriè dicitur Effectiua, qualis est statuaria, fabrilis, ædificatoria: nam uel domum, uel arma, uel statuam, quæ prius non erat, fabricat.

Erat quidem, sed imperfectum & mancum. Qualis est ars quæ uestes aut calceos laceros reficit: qualis etiam est ipsa Medicina. Dicuntur propriè artes Refectrices.

Non faciunt aliquid, sed acquirunt tantùm ea quæ iam facta sunt uel natura uel arte. Qualis est ars piscatorum, aucupum, pugilum, sophistarum, atque etiam, si Dijs placet, amatorum. Plato τέχνας κτητικὰς uocat.

Assumptionem siue Minorem, quòd Medicina sit ars: quam præsupponit uelut ab omnibus confessam. Ars enim est, propriè sumpta, hoc est, collectio præceptorum uniuersalium, ad unum eundemq́; finem tendentium. Impropriè uerò seu communiter scientia quoque esse dicitur, ut in Arte medica annotauimus.

Conclusionēm: Ergo Medicina quoque uel in contemplatione uel in actione finem suum positum habet. Conclusionem deducit & illustrat, ostendendo Medicinæ finem

Non esse Contemplationem, hoc signo siue argumento ex communi hominum opinone deducto, quoniam nemo (exemplo Patrophili proposito) aliam ob causam Medicus fieri optat, quàm ut eos qui sunt corpore præter naturam affecto in naturalem statum reducere posit. At hoc ipsum actionem in se continet, non cōtemplationem. Etsi enim Medicus quoque contemplatur, non tamen eius tantùm rei causa, ut sciat, cognoscat, & animum perficiat: sed potius ut ad actionem circa corpus omnia referat, hoc est, ad sanitatis uel conseruationem uel restitutionem. Quo ipso differt à philosopho naturali, qui corpora itidem sana & ægra considerat, non ut ea curet, sed tantùm ut accidentia illorum cognoscat.

Esse Actionem, ex resolutione. Resoluit enim subiecti corporis humani affectiones, ex quibus medicinæ finis, sanitas scilicet, & actiones medici uariæ pro corporis subiecti natura deducuntur. (Quo itidem progressu in prioribus duobus libris, quibus caremus, se fuisse usum scribit.) Corpus enim uel est

Sanum. Conseruandum est. Conseruatio ipsa, actio est. Sic ergo medicina primùm erit actiua, non contemplatiua: deinde uerò factiua siue ποιητικὴ, & impropriè sumpto uocabulo, πρακτικὴ, non θεωρητική.

Ægrum curandum est, & ad naturalem statum reducendum. Sic ergo medicina factiua erit, relinquens aliquod opificium post se, non illud quidem nouum, sed uetus, refectum tamen. Quare factiua erit ars, non tamen effectrix, sed refectrix.

CAPVT II. DE SVBIECTO SEV MATERIA CIRCA QVAM medicina uersatur, de corpore scilicet humano. Proponit autem generali ratione quid in illo nobis obseruandum sit.

Ex fine MATERIAM communem deducit Gal. Finis enim medicinæ sanitas est, per actionẽ uel conseruanda uel restituenda. Actio necessariò subiectum aliquod requirit quod patiatur. Hoc autem est corpus humanum: cuius generalem tractationem in hoc cap. proponit, particularẽ in seq. explicaturus. Transitus porro artificiosus à fine ad materiam, perficitur à Gal. per similitudinem. Nam in enumeratione artium effectiuarum Aedificatoriæ quoque meminit, & medicinæ similem esse statuit. Quæ similia sunt, non sunt eadem: hoc est, in quibusdam conueniunt, in alijs differunt. Quare medicina quoque & architectura primùm differunt tum ratione materiæ subiectæ (hîc domus, illic corpus humanum) tum ratione finis (etsi enim ambæ ad opus tendunt, tamen architectura non tantùm reficit id quod prius erat, sed etiam id quod prius non erat efficit: Medicina uerò tota refectrix merá est) tum ratione cognoscendæ materiæ (nam architectus partes & compositionẽ domus tãtùm, nullas præterea actiones in re inanimata obseruat: at medicus non partes tantùm materiæ & compositionem, sed earũdem quoque actiones cognoscere laborat.) Iam uerò conueniunt (in conuenientia autem similitudinis uis tota consistit) non modò ratione finis generalis, quoniam in opere seu actione acquiescunt: sed etiam in modo cognoscendi materiam subiectam per resolutionem seu dissolutionem. Hac ergo similitudine inter medicinam & architecturã constituta, ad maiorem contextus intelligentiam obseruari debet tum

Cognoscendi *modus, siue ὁδὸς; ut propriè loquamur. Intelligimus autem hîc non rhetoricam illam prudentiam accommodandi sese captui auditorum: sed uiam cognoscendi, quæ ex rerum cognoscendarũ natura, & cognoscentium conditione pendet. Hanc alij abusiuè methodum uocãt, alij etiam ordinem. Differt tamen ab utroque. Ordo enim & methodus sunt artificiosæ dispositiones earum rerum quæ doceri debent: at ὁδὸς est generalis ratio progrediendi à notiori ad ignotum, seu à cõfuso ad distinctũ (ut in prooemio Physices Aristoteles inquit) innata & insita nobis à natura. Nam cùm duo in nobis sint ὀρέξεις, siquidem sensu aliquid cognoscere uel apprehendere cupimus, à notioribus nobis: sin uerò intellectu, ab eo quod naturâ suâ & per se notius est, ad minus notum progredimur. Verùm quia primi cogniti non eadem est ratio apud omnes, idcirco breuiter hîc annotemus, quòd Cõfusum hoc siue Nótius diuersim: odè sumitur, & aliâs aliud significat, prout etiam cognitio nostra uel per sensum uel per intellectum incipit. Confusum ergo istud, à quo ordimur, uel est*

Vniuersale. *τὸ καθόλου. Intellectus hoc assumẽs ad particularia progreditur. Est autem duplex, uel*

Ante multa, *à rebus distinctũ. Idea dicitur. Quam ueluti exemplar Deus & natura in creatione seu conditione singularium imitantur. Nostri ea non est instituti, nisi ut omnes nostras tam actiones quàm cogitationes ad eius apprehensionem referamus, ut Plato uoluit. Nam quod hîc Gal. monet, nisi nos quoque aliquam diuinæ illi similem cognitionem, quo ad eius fieri possit, attentauerimus, nunquam profectò discernemus, num omnia ad aliquem usum sint procreata, an etiam nonnulla frustra. Deus enim & natura partes prænorunt, earum officijs pro exemplari usi, ut etiam architectus. Itaque nos pariter ex actionibus particularibus naturam rei & ideam inuestigare debemus.*

Post multa, *quod in ipsis rebus actu est, intellectu uerò separatũ intelligitur. Quale est illud, ex quo omnium artium theoremata constituuntur, quod in particularibus singulis ueluti distinctis uerum esse deprehẽditur. De hoc uniuersali nos loquimur, quando docemus uel discimus per inductionem, hoc est, per declarationem seu cõfirmationem uniuersalium in particularibus exemplis.*

Particulare *aliquod. ὅλον ab Arist. in prooemio Phys. dicitur. Consideratur autem uel*

Cum alijs *particularibus, ut quid inter se commune habeant intelligatur, hoc est, ut uniuersale ex illis inferatur. Nam quoduis particulare continet in se uniuersale, cõfusum tamen cum alijs attributis. Quando ergo uniuersale ipsum ueluti separatum intelligitur, tunc etiam distinguitur. Quare progressus fit à notiori confuso ad ignotius distinctum, per inductionem, seu dicere malis eductionem.*

Per se solum, *quoniam nolumus ex eo colligere uniuersale: sed tantùm particulare illud, quod confusa notitia apprehẽdimus, per suas causas & accidentia, ex quibus constat, distinctè cognoscere cupimus. Sic (ut in prooemio Physic.) definitũ in se comprehẽdit definitionẽ, id est causas & accidentia: & pueri omnes mulieres matres uocant. Progressus iste διάλυσις seu ἀνάλυσις dicitur, atq; etiam in secundo Poster. ἀναγωγή. Quo quidẽ nos in præsentia utemur, imitati architectos. Nam corporis particularis primùm causas per dissolutionẽ omnium illius partium inuestigabimus: deinde uerò per inductionem tandem ex multis particularibus uniuersale inferemus.*

Id quod cognoscendum est. *Vide in seq. signum **

✻ **Id quod cognoſcendum eſt,** *corpus ſcilicet humanum, ueluti materia medico ſubiecta. Corpus, quia compoſitum eſt, conſtat ex materia & forma: utraque cognoſcenda eſt, nam eſſentiam corporis abſoluunt. Efficiens, quia externa eſt cauſa, à Gal. non conſideratur: præter id quòd in corpore non manet uirtus formatrix, ſed ſtatim poſt partium efformationem emoritur, & poſt ſe relinquit animam uegetantem. Itaque Gal. proponit corporis humani*

- **Materiam** *ſiue partes ex quibus conſtat, eaſq; proximas. Sunt igitur aliæ*
  - **Similares.** *Quæ itidem cõponuntur ex*
    - **Materia,** *nimirum ex ſemine & ſanguine menſtruo: quæ tandem in quatuor elementa reſtruntur.*
    - **Forma** *interna, quæ temperatura eſt.*
  - **Diſsimilares.** *Quarum*
    - **Materia** *ſunt partes ſimilares.*
    - **Forma** *interna nulla alia eſt, quàm quæ ſimilarium compoſitarum, temperatura ſcilicet quædam compoſita ſiue mixta. Externa uerò (quam etiam in domo extruenda architectus obſeruat) ea eſt, quæ magnitudine, figura, numero, & ſitu continetur. Quapropter cõformatio diſsimilarum propria eſſe dicitur, quemadmodum temperies ſimilarium.*
- **Formam,** *quæ anima eſt, neque per ſe cognoſcitur, ſed per medias actiones. Hoc ipſo medici cognitio excollit cognitionem architecti. Architectus enim nullas actiones in domo obſeruat, quia inanimata eſt: Medicus uerò ex actionibus formam colligit, ſiquidem natura nihil facit fruſtra, & motus atq; quietis principium exiſtit. Porrò forma materiæ immerſa cõcipitur. Vt ergo materia duplex erat, ſiue partes materiales duplices, ſimilares ſcilicet & diſsimilares: ita quoque actiones formales erunt geminæ. Aliæ enim ſunt actiones*
  - **Similarium.** *Sic uerbi gratia actio*
    - **Muſculi** *eſt mouere.*
    - **Nerui** *eſt ſenſum & motũ à cerebro ſubminiſtrare.*
  - **Organicarum.** *Exempli cauſa: cruris totius actio eſt inceſſus: atque ut crus ex ſimilaribus componitur, ita quoq; actionem eiuſdem ſimilares partes efficiunt, aliæ quidem tanquam principes, aliæ tanquam coadiuuantes. De quibus in ſequentibus. Verùm quia actio impropriè organicis conuenit, propriè uerò ſimilaribus: ideo Gal. in forma organicarum explicanda non meminit actionum ſimpliciter, ſed conformationis partium, quæ facit ut actio uel integra ſit in organo, uel uitiata.*

CAPVT III. DE PARTIVM ORGANIcarum materia.

PROPOSVIT *rationem tractandi materiam ſubiectam medicinæ: eandem nunc explicare inſtituit. Quod quidem pulcherrima diſpoſitione facit, quam nos totam breuiter oculis ſubijciemus. Supponendum ergo, quòd corpus humanum ſubiectum eſt, cuius materia & forma inquiritur. Sed quoniã ex materia educitur forma, & uiciſsim forma dat eſſe & nomen materiæ: ideo uix unum abſque altero intelligi poteſt. Quare Gal alterum per alterũ exponit: quod multo antè Ariſt. in Phyſicis quoque fecerat. Verùm quia materia prior eſt naturâ, idcirco materiam diuidit in partes ſimilares & diſsimilares: poſtea quarumlibet partium materiam & formam denuò exequitur. Explicat igitur Gal. partes materiales corporis humani tum*

- **Organicas,** *in quibus actio formalis manifeſtior eſt. Conſiderat illarum*
  - **Materiam,** *cap. III. Componuntur ex ſimilaribus: ſimilares ex diſſectione potiſsimùm cognoſcuntur: tamen Gal. hoc in loco eas quoque ex actione deducit, & aliam actionem organicæ partis totius, aliam cuiuſque ſimilaris eſſe oſtẽdit: quinimo actionem ſimilaribus primò & per ſe competere, organicis tantùm ſecundariò.*
  - **Formam,** *hoc eſt, actiones conſequentes formam. Verùm quia actio ſimilarium partium temperaturã propriè ſequitur, ideò formam in organicis non internã, ſed externam tantùm, quæ in cõformatione, numero, ſitu & magnitudine poſita eſt, perpendit. A qua quidem conformatione oriuntur actiones tum*
    - **Integræ.** De *quibus capite quarto.*
    - **Vitiatæ.** De *quibus capite quinto.*
- **Similares,** *quæ reſpectu organicarum materiales cẽſeri poſſunt. Perſequitur illarum*
  - **Materiam** *tum*
    - **Proximam.** *Quæ partes ex ſemine, quæ ex mẽſtruo oriantur, oſtendit cap. VI.*
    - **Remotam.** De *elementis agit à capite VI. uſque ad XII.*
  - **Formam,** *cap. XII.*

Iam uerò *post generalem dispositionem, quam Gal. obseruat in materia & forma humani corporis explicāda, ad particularem expositionē accedamus. Primùm igitur organicarum partium materiam hoc cap. tertio declarat, quòdq́; ex similaribus componantur, ex actionum diuersitate conuincit. Si quis ergo solas actiones spectat, de quibus in hoc cap. agit, uidebitur Gal. naturam actionum, quæ formam partium internam siue temperaturam sequuntur, declarare uelle (quemadmodum etiam nos suprà in generali diuisione Tractationis annotauimus) sin uerò scopum Gal. & [illegible] artificiosam intelligat, non alia de causa actionum hîc mentionem fieri deprehendet, quàm ut materia partium organicarum declaretur. Ex actionibus itaque consequentibus formam, deducitur materia. Vt enim actiones organicarum partium uariæ sunt, ita quoque uariæ sunt partes similares, ex quibus componuntur, quibus primò & per se actiones cōpetunt. Vbi quidem illud notandum est, omnes partes corporis tam similares quàm dißimilares communi ratione organicas dici, quoniam organa sunt animæ operantis. Verùm κατ' ἐξοχὴν illa pars organica uocatur, in qua multæ similares ad unam actionem sensibus manifestam concurrunt. ὄργανον enim ἀπὸ τοῦ ἔργου. Manifestæ autem sensibus actiones sunt duplices, actio uidelicet sentiendi, atque mouendi: quamuis ipsum sentire sit quoddam pati. Motus itaque localis inter omnes actiones est ualde illustris. Proinde Gal. à motu cruris, siue pedis magni, sumit exemplū, hoc est, ab inceßu, ut ostendat, quomodo ex uarietate motus in crure, ueluti in parte orgauica, etiam similarium uarietas necessariò inferatur. Obseruanda est igitur actio cruris tum*

- **Generalis**, *quæ toto cruri conuenit; ipse uidelicet inceßus per flexionem & extensionem pedis. Qui quidem motus compositus est ex uario motu musculorum: neque alio differt à motu similarium, quàm quo tria, quatuor & quinque, à duodecim. Quapropter à Gal. actio totius instrumenti organo conuenire dicitur non primò, sed secundariò (quia primò similaribus cōuenit) & per accidens tantùm (accidit enim organicis, ut ex similaribus componantur, quarum motus uarij in unum communem motum conspirent, qui totius instrumenti motus appellatur.) Vt ergo motus organo attribuitur non per se, sed quia ex similaribus componitur: ita uicißim (ut in sequenti capite audiemus) in partibus similaribus compositio secundùm magnitudinem, conformationem, numerum atque situm, locum habet, non per se, sed quatenus ad organi compositionem concurrunt. Et quamuis actio per se organo non competit, tamen Gal. in organicarum natura explicanda actionis semper meminit, in similaribus uerò infrà capite duodecimo, nullo modo. Causa ea est, quoniam similarium forma est temperatura, à qua deinde profluunt actiones: at organicarum nulla interna dari potest forma, sed externa tantùm. Ab actionibus ergò organicæ partes & nomen & esse habent, quamuis secundariò tantum.*
- **Particularis**, *quæ cuiuslibet partis similaris propria est, quandoquidem ab interna illius forma, à temperatura scilicet, profluit. Itaque primò & per se parti conuenire dicitur à Gal. Et ex hac eadem actione elicitur materia partis organicæ, quæ in uniuersum constat ex particulis ortis uel ex semine uel ex sanguine menstruo, quas Gal. ratione officij quod habent enumerat. Cùm igitur uariæ partes similares ad organi compositionem concurrant, etiam actiones particulares erunt uariæ. Ostendit hoc Gal. in proposito exemplo, de motu cruris. Nam partium similarium aliæ sunt*
  - **Mouētes**, *uel tanquam*
    - **Effectrices motus,** *tum*
      - **Principes,** *Musculi. Qui uel*
        - **Extendunt** *tibiam.*
        - **Flectunt** *tibiam.*
      - **Non principes,** *sed coadiuuantes, ut* Tendines.
    - **Instrumentariæ.** *Nerui motiui, ueluti canales, per quos facultas à cerebro transmittitur. Patet hoc ex nerui dissectione: inferiores enim partes, ad quas facultas ampliùs pertingere nequit, motu priuantur. Verùm hæc probatio ex quæstione de principatu partium petenda est.*
  - **Motæ.** *Et rursus uel*
    - **Primò**, *ut Ossa. Quibus annectuntur, suisq́; tendinibus inseruntur musculi, ut pro uoluntatis arbitrio ea mouere poßint.*
    - **Secundariò**, *quia scilicet ossibus circunquaque adhærent, & cum illis mouentur. Quales sunt Cartilagines, Adeps, Nerui sensitiui, Glandulæ, Arteriæ, Venæ, Cutis, Membranæ, Ligamenta.*

CAPVT IIII. DE PARTIVM ORGANICARVM FORMA, QVATENVS ab ea actiones integræ profluunt.

ORGANICARVM partium interna forma nulla est, quæ non similaribus accepta referri debeat. Quare nec actiones organicis primò & per se cōueniunt, ut in præced. cap. annotauimus, sed secundariò tantùm, quoniam ex similaribus componuntur, quibus actiones primò & per se competunt. Externa uerò FORMA organicarum ea est, quæ ex compositione dißimilarium emergit. Atque ut temperatura ad similares solas refertur, quamuis in organicis quoque reperiatur: ita compositio ad solas organicas & dißimilares, quamuis in similaribus quoque conspiciatur. Hoc enim est, quod Gal. hoc in loco monet, non tantùm compositionem in omnibus similaribus quæ organum componunt spectari, sed etiam in quauis similari magnitudinem, figuram, numerum & situm obseruari debere: nisi enim in omnibus istis quæuis particula bene se habeat, actio integra esse nequit. Neque tamen consideratio ista particulæ est, ut similaris est, sed ut partis organicæ portio est. Integritas porrò actionis organicæ pendet à partium similariū componentium debita

- **Vnione** *siue contiguitate: nam contiguæ sunt tantùm, non autem continuæ. Solutio huius unitatis uitiatas producit actiones, ut in sequenti capite ostendet. Vnio autem uidetur sequi seu potius continere organi materiam.*

- **Compositione**, *quæ uidetur sequi siue continere formam organi. Forma organicarum accidentibus ijs circunscribitur, quæ sequuntur compositionem: & quamuis ipsa per se actiones non producit (hoc enim formæ similarium tantùm cōuenit) tamen easdem uel promouet, uel impedit. Itaque formam hanc externam, quatenus secundùm naturam se habens integras producit actiones, hoc cap. Gal. exequitur, in eodem exemplo persistens, nempe in motu cruris totius siue pedis magni: ut quod in hoc fieri uidemus, etiā in alijs partibus organicis experiamur. Forma ergo pedis siue cruris definitur & circunscribitur accidētibus quibusdam, quæ communi nomine cōpositionis comprehenduntur. Et quemadmodum in præcedenti capite actio, ita hic compositio perpendi potest dupliciter: nempe*

  - **Generaliter** *(quod hic maximè faciendum est) si omnes partes, ex quibus componitur organum, inuicem cōferas, & in illis cōsideres accidētia tum*

    - **Materialia.** *vide in sequen. signum △*

    - **Formalia**, *quæ formam concomitantur siue exprimunt. CONFORMATIO, consistēs in cauitate, meatu, figura & superficie. Galenus tamen hoc in loco solius figuræ meminit, κατ' ἐξοχήν. Oportet enim partium inter se debitam esse proportionem, ut ex apta compositione, figura decens & ad usum partis necessaria proueniat: Satis est Galeno, digitum ad fontem intēdere, & quid considerandum sit proponere potiùs quàm declarare.*

  - **Particulariter**, *in quauis parte similari. Sic necesse est (inquit Galenus) ipsa quoque ligamenta sua constare magnitudine, figura, numero, atque situ. Quia si maiora aut minora fuerint, si plura uel pauciora quàm sit oportunum, si in aliam figuram formata, si alij cuipiam loco inserta, non erit amplius integra articulorum motio. Quod de ligamentis dico, de alijs quoque particulis intelligi uolo. Verumenimuerò sicuti actio in organicis est tantùm ratione similarium: ita uicißim compositio in similaribus est tantùm ratione organicarum uel dißimilarium.*

Materialia, *hoc est, quæ materiæ rationem uidentur sequi: qualis est*

- **Locus,** *sola enim materia occupat locum. Itaque cùm partes organi sint uariæ,* SITVM *quoque debitum requirunt, quem ex usu partis Anatome inferre docet. Nam nisi musculi quidam in anteriore parte, quidam in posteriore essent collocati, non posset per flexionem & intensionem motus fieri. Pariter nisi unum os reciperet, alterum subingrederetur, & ligamentis circumcirca positis in sua sede cõtineretur, incessus stabilis esse non posset.*
- **Quantitas tum**
  - **Continua.** MAGNITVDO *partium debita & conueniens esse debet. Hæc autem ex dissectione & usu partis cognoscitur.*
  - **Discreta.** NVMERVS *partium componentium seu similarium. De numerò similarium in præcedenti quoq; cap. egit, quatenus similares partes materiam organicarum constituunt: hic uerò de numero similarium tractat, quatenus confert ad formam externam organicarum, hoc est, ad compositionem, cuius deinde merito actiones integræ eduntur. Porrò numerus ex fine seu usu cruris deducitur. Finis est motus secundùm locum à natura datus, ut geminis cruribus ueluti satellitibus princeps truncus pro uoluntatis imperio huc illuc transferri posset. Iam uerò quia in omni motu ratio est habẽda ipsius mouentis primùm, deinde etiam moti corporis: ideirco in hoc quoq; motu aliæ sunt partes*
    - **Agentes** *siue mouentes: Quæ rursus; sunt in duplici differentia: aliæ ut*
      - **Instrumenta,** *per quæ uis motiua in musculos & totum pedem à cerebro transfunditur. Nerui motiui, qui à medulla spinæ oriuntur: sic dicti, non quòd ipsi moueant, sed quia uim motiuã à cerebro deferunt.*
      - **Efficientes,** *& uel*
        - **Principes,** *Musculi scilicet, uarij, pro motu uario. Nã*
          - **Fœmur** *habet undecim, quamuis Vesalius decem tantùm statuat.*
          - **Tibia** *habet nouem.*
          - **Pedis** *parui musculi alij mouent*
            - **Totum** *pedem, numero nouem.*
            - **Digitos** *tantum, numero uigintiduo.*
        - **Coadiuuantes.** *Tendines: neq; enim isti mouerẽt, nisi à musculis mouerentur.*
    - **Patientes** *siue motæ. Totus quidẽ pes mouetur; sed aliæ partes*
      - **Primò** *et per se, Ossa scilicet, ueluti bases. Cũ igitur ossa moueri oporteret, nõ potuit totus pes ex uno tantùm osse cõponi, sed ex pluribus inuicẽ coniunctis, quæ ab uno immobili principio pẽderent, nimirũ ab osse coxẽdicis: Itaq; ordine sequuntur siue cohærent ossa*
        - **Fœmoris,** *unicum, cui os patellæ appensum est.*
        - **Tibiæ** *duo: tum*
          - **Interius** *et craßius, quod* ἀντικνήμιον *dicitur & Tibia speciatim.*
          - **Exterius** *et tenuius* παρακνήμιον, *Sura, seu Fibula.*
        - **Pedis** *extremi uaria. Vesalius 26. tantùm, Gal. uno plus numerat, quia unum bis numerauit. Cõponitur enim pes ex*
          - **Talo.**
          - **Calcis** *osse.*
          - **Nauiformi** *osse.*
          - **Tarsi** *oßib. 4.*
          - **Plantæ** *oßibus 5.*
          - **Digitorum** *oßibus 14.*
      - **Per accidẽs,** *quia oßibus adhærent, nec ad motum cõferunt, sed ad alios usus, utpote ad*
        - **Sensum,** *Nerui sensitiui.*
        - **Vitam** *& calorem, Arteriæ.*
        - **Alimentum,** *Venæ.*
        - **Tegendum,** *Membranæ, Adeps, Cutis.*
        - **Fulciendum,** *Glandulæ.*
        - **Cõnectendum,** *Ligamenta & Cartilagines.*

CAPVT V. DE PARTIVM ORGANICARVM FORMA, QVAtenus ab ea uitiatæ actiones proueniunt.

QVEMADMODVM ex organicarũ partium forma externa integra, actiones bonæ proueniunt: ita ex eadem uitiata, actiones uitiatæ. Quæ quidem forma externa in partium cõpositione posita est. Proinde ut actionum uitium cognoscatur, cuiusque partis compositio perpendi debet. Sicuti neque ædificij uitium sciri potest, nisi omnes partes ex quibus constat optime intelligantur. Vitiata igitur actio organicarum pendet uel ex organi

- **Forma** *externa, uidelicet à compositione, quæ organicarum propria est, sicuti temperatura similarium. Spectatur autem uitiata compositio in conformatione, in numero, in situ, in quantitate, uel*
  - **Generaliter**, *hoc est, in omnium partium similarium componentium relatione mutua. Itaque si uel in numero, uel in conformatione, uel in situ, uel in magnitudine peccent, uitiabitur actio. Quemadmodum in libris De differentijs morborum & symptomatum (ad quos diligentiorem huius rei tractationem reijcit) docet Galenus.*
  - **Particulariter**, *in singulis partibus quas organum cõtinet. Harum ergo læsio organi totius motum uel*
    - **Impedit**: *ut si musculus uel tendo deficiat, uel si ligamentum alio situ positũ fuerit. Per se dicitur organica pars affici.*
    - **Non impedit**: *ut quando uena aliqua deficit. Per accidens tantum organica pars affici dicitur: neq; enim propter actionis impedimentum, sed propter partis similaris, quam continet, læsionem.*
- **Materia**, *hoc est, à dispositione quadam, quæ materiæ compositionẽ sequitur & absoluit. Hæc autem est Vnio: quæ nõ modò in dissimilaribus, sed etiã in similaribus reperitur: atq; idcirco uitiata unio tam in similarib⁹ quàm in dissimilaribus morbũ efficit. Gal. hoc ipsum in similarib. partibus ostendit, ea potissimũ de causa, quoniã quandocunq; soluitur unio in parte similari, soluitur quoq; in organo, cuius pars est. Verumenimuero quia sub obscura hæc sunt, distinctiore egent explicatione. Vnitatis igitur solutio accidit tum in partibus*
  - **Similaribus**, & *solutio cõtinui appellatur. In quo quidẽ affectu duplex erit respectus: tum*
    - **Actionis** *uitiatæ. Vide in seq. signum* *
    - **Vnitatis** *solutæ. Cuius differẽtias Galen⁹ hoc in loco inuestigat tum*
      - **Generaliter**, *à causis tum internis tum externis, quæ soluunt continuum. Soluitur enim continuum uel à*
        - **Qualitate** *aliqua acri & erodente. Dicitur Erosio.*
        - **Vi aliqua**, *qualiscunque illa sit, aut quomodocunque fiat: quæ pungat, secet, scindat, laceret, uel contundat sui grauitate.*
      - **Particulariter**. *Nam prout uariæ sunt partes similares, ita quoquè nomina solutæ unitatis in illis uaria sunt. Exemplũ triplex affert Gal. (sicuti etiam in Arte med. fecerat) in parte similari*
        - **Sanguinea**, *quæ ex mẽstruo orta est, nẽpe in carne. Carnis soluitur cõtinuũ tũ ab*
          - **Erosione**, *fit Vlcus.*
          - **Sectione**, *dicitur Vulnus.*
          - **Scissione**, *ῥῆγμα seu Fissura.*
          - **Laceratione** *filamẽtorum, σπάσμα.*
          - **Punctione**, *Punctio.*
          - **Cõtusione**, *Contusio.*
        - **Spermatica**, *eaq; rursus uel*
          - **Dura**. *Sic in Osse soluitur unitas*
            - **Corrodẽdo**. *Dicitur Caries seu τερηδών.*
            - **Scindendo**, *Fractura.*
          - **Mollis**. *Sic Neruus patitur Punctionẽ, Scissionem.*
  - **Organicis**, *ea parte, qua corpora genere diuersa committuntur & coalescunt. Generali nomine ἀποσπάσματα, id est, Diuulsiones dici possunt, quia non continuum, sed contiguum tantum soluitur. Vitiatur tamen actio totius organi: eaq; de causa hæc solutio unitatis dicetur in organica parte propriè accidere, tum quo ad actionem, tum quo ad subiectum, quæcunque tandem differentia solutionis fuerit.*

* **Actionis** *uitiatæ, propter quam nunc hæc nostra instituta est consideratio. Vitiatur igitur actio, læsa parte similari, tum*

- **Animalis** *externa, sentiendi, præcipuè uerò mouendi. Vitiato igitur motu particulæ similaris, uitiatus quoque semper dicetur motus partis organicæ, sed cum hac distinctione: uel*
  - **Primò** *& per se: ut quando motus totius instrumenti uitiatur simul & tollitur, per tendinis uel ligamenti læsionem, aut musculi alicuius dissectionem, qui magni sit momenti. Nam quum partes istæ ad motum maximè conferant, necesse est ut his læsis, totius instrumenti actio impediatur. Quapropter totius partis organicæ affectio dicetur, propter communem motum uitiatum: quamuis subiecto sit tantùm unius particulæ similaris.*
  - **Non primò**, *sed ex accidenti: quando motus totius non uitiatur, sed tantùm debilitatur. Vt quando musculus unus læditur erosione uel contusione, cuius non sit magna in mouẽdo facultas, uitium est in solutione unitatis partis similaris primò & per se: per accidens uerò totius organi affectio dicitur, quoniam non totius actio intercipitur, sed tantùm partis quæ in toto cõtinetur.*
- **Vitalis** *ferè semper, quia calor innatus debilitatur.*
- **Naturalis** *semper, quoniam alimentum affluens non rectè concoquitur: apparet hoc ex pure & sanie.*

CAPVT VI. DE PARTIVM SIMILARIVM MATERIA proxima.

Post *tractationem organicarum partium, succedit speculatio similarium: ut sic à compositis ad simplicia progrediamur. Transitus iste per* ἀνακεφαλαίωσιν *fit. Repetit enim per capita constitutionem partium organicarũ: & tandem de similaribus nunc esse agendum infert, ex quibus organicæ componuntur. Quòd autem similarium cognitio necessaria sit medico, similitudine architecti declarat, qua etiã suprà statim ab initio usus fuit. Similarium ergo partium itidem ut dissimilarium seu organicarum inuestiganda sunt principia seu causæ, materia scilicet & forma. Efficiẽtis nulla hic fit mentio, quandoquidẽ neque confert ad essentiam totius cõstituendam, neque in corpore remanet, sed statim post membrorum conformationem emoritur. Porrò quia ex materiæ potentia educitur forma, idcirco de materia primò agit Gal. quæ non tam ex anatome, quàm per rationem & discursum comprehendi potest. Materia igitur similarium partium apud medicos uel est*

- **Simplex**, *quæ ex nullo alio corpore mixto componitur, sed ex qua omnia ea quæ sunt in rerum natura esse suum habent. Sic elementa quatuor materialia principia sunt omnium rerum. Quapropter etiam seminis & sanguinis menstrui, ex quibus homo immediatè formatur, elementa prima erunt principia, & per consequens materia remota siue mediata corporis humani: ut capite septimo docebitur. Verumenimuerò sicuti materia ista uniuersalis est, ita quoque efficiens habet uniuersale, cœlum uidelicet, quod suo lumine & motu in elementa agens, uaria mixtorum genera producit. Itaque uulgò dici consueuit, Sol & homo generant hominem, hoc est, efficiens uniuersale seu remotum, & particulare siue proximum. De elementis philosophi quoque naturales agunt, quatenus omnium mixtorum materiam constituunt, non tantùm corporis humani: deinde quamuis in corpore quoque humano elementa considerant, non tamen sanitatis tuendæ uel reparandæ gratia, sed tantùm ut rerum naturalium causas & accidentia cognoscant.*
- **Composita**. *Vide in seq. signum* #

‡ **Composita**, *quæ ex elementis ueluti materia oritur, ex cuius potentia, pro uaria ratione mixtionis, etiam forma educitur, quæ mixto dat esse & nomen. Sic ergo materia partium similarium proxima siue particularis in humano corpore est tum semen, tum sanguis menstruus, ex quibus immediatè partes ipsæ conformantur, à facultate formatrice uelut ab efficiente particulari, quæ in semine uiri potentia continetur, & à calore uteri recipientis in actum educitur. De proxima igitur materia agit Gal. in hoc cap. VI. eamq; deducit ex ipso fine. Causam enim, cur de illa agat, refert in actionem medicam: quæ dum curat corpus, interdum ablatas partes restituit, solutas colligat substantia uel planè eadem, uel certè simili. Itaque materia proxima partium similarium est semen & sanguis menstruus, secundùm medicos. Vbi tamen notandum est, Humores quoque inter materialia principia partium, eaq; proxima, poni solere: uerùm à Galeno hoc in loco omitti, uel quia menstrui sanguinis ambitu comprehendũtur, uel quia non tam ad generationem animalis, quàm ad eiusdem iam editi cõseruationem, nutritionem & incrementum conferunt. Contraria ratione Auicenna in lib. Canonum, cùm principia materialia recenset, omittit semen & sanguinem menstruum. Iam uerò cùm orta de principijs attestentur naturæ suorum principiorum, etiam partes quælibet similares uel seminis uel menstrui naturam imitabuntur: quod ipso colore, tanquam accidente inseparabili, satis ostendunt. Artificiosè igitur καὶ κατὰ λόγον Gal. materiam similarium proximam proponit, eamq; duplicem. Siquidem ablata substantia similarium, quocunque casu, restituenda est per naturam inprimis, deinde per medicum ueluti ministrum naturæ. Aut ergo restitui*

Nequit. *Sic omnes partes spermaticæ, albæ (siue duræ sint, ut ossa, cartilagines, tendines: siue molles, ut nerui, uenæ, arteriæ, membranæ) uel si omnino auferantur, nequit substantia similis substitui: uel si earundem continuitas soluatur, nequeunt conglutinari, sed callo tantùm siue poro medio coniungi possunt: quod cap. XXXIX, & XL. Artis medicæ luculenter ostendit. Causa autem, cur restitui nequeant, refertur partim in materiæ defectum, partim in formæ perfectionem. Materiam intelligo semen. Cùm igitur simile simili nutriatur & augeatur, quia semen non affluit membris pro alimẽto, sed potius econtra à membris ad testes præcipitatur sanguis, ut illic in semen conuersus, & à parastatis uaricosis receptus, ad coitũ reseruetur, & per colem eijciatur, non autem ad membra regurgitet, idcirco deest materia, ex qua partis spermaticæ iactura restitui poßit. Formæ itidem perfectio tanta est, ut non nisi à uirtute formatrice ueluti diuina potuerit effici. Hæc autem facultas, qualiscunque illa sit, statim post conformationem partium corporis sopitur & emoritur. Et hanc secundã causam Galenus infrà capite decimosexto, tacitè uidetur innuere uoluisse. Iam uerò cùm unio spermaticæ partis solutæ non poßit fieri per substantiam spermaticam & specie eandem, natura ne deesset animali, per substantiam aliquo modo similem fieri curauit, quæ ex sanguine quidem ortum duceret, immutaretur tamen à membri spermatici facultate concoctrice, & alba efficeretur. Callum seu porum uocant. Qui tanto est imperfectior substantia spermaticæ partis, quanto etiam facultas nutrix & auctrix debilior est uirtute formatrice.*

Potest. *Sic omnes partes rubræ, ex menstruo sanguine ortæ, restitui possunt, si fuerint ablatæ: conglutinari possunt termino communi, si fuerint disiunctæ atque solutæ: ut capite trigesimo octauo Artis medicæ docet. Causa est, tum materiæ abundantia, sanguinis uidelicet, qui pro nutritione membrorum confertim affluit: tum quoque formæ imperfectio, ut quæ non tantùm à formatrice facultate potuerit educi, uerùm etiam à facultate naturali nutrice & auctrice poßit subinde restaurari. Sunt porro omnes istæ partes carnosæ: qualis substantia in musculis conspicitur, in hepate, liene, renibus, pulmone, in ipso denique corde. Nam quamuis actu similaris caro in illis non reperitur, cogitatione tamen in uiuis, atque etiam per anatomen in mortuis, à dißimilaribus alijs separari potest.*

CAPVT VII. DE PARTIVM SIMILARIVM MATERIA REMOTA.

Proponit quæstionem de Elementis,

MATERIA *similarium remota comprehendit Elementa. De quibus uariæ opiniones ueterum philosophorum circunferuntur, quas hîc Gal. recitat, ut ueritate inuenta, materia similarium remota rectè cognoscatur. Quæstione igitur naturam & numerũ elementorum inuestigat: quæ quia uarias habet partes, ideo prius dispositio totius huius tractationis de elementis proponenda est. Itaque Galenus quæstionem de elementis*

Proponit, *hoc cap. VII.*

Explicat. *In qua quidẽ explicatione duo considerat, uidelicet*

Τὸ ὅτι, siue An quæstio hæc talis sit, quæ poßit explicari. Talem autem esse, probat generali discursu, eoq; elegantißimo, capite octauo,

Τὸ διότι, siue quomodo & qua ratione explicãda sit. Explicatio ergo in eo est, quòd declarat tum

Generaliter *naturam omnium elementorum, quod scilicet specie sint diuersa, & inuicẽ mutabilia: idq; probat syllogismo Hippocratico, cap. IX.*

Particulariter *singulas propositæ quæstionis partes. Ostendit enim quænam sit compositionis similarium partium*

Forma *seu modus: nempe per cõtinuitatem, non per contiguitatem. Cap. X.*

Materia, *Elementa uidelicet specie inter se differentia. Quare numerum & naturam elementorum inuestigat, capite XI.*

Iam uerò *ad singula capita accedamus. In hoc igitur cap. VII. Gal. proponit quæstionem de elementis. Ex elementis partes similares componuntur. Inquirenda erit ergo cõpositionis huius tum*

Forma *seu modus compositionis in generatione partium similarium. Hîc autem unitate perficitur, quam cap. 10. explicabit. Verùm quia unitas in similaribus pariter & in dißimilaribus reperitur, idcirco inquirendum est, utrum unitas seu forma compositionis similarium, cum forma & modo compositionis, hoc est, unitate seu potius contiguitate dißimilarium & organicarum partium sit*

Eadem, *nempe quòd partes unitæ non per ueram continuitatem copulentur, sed per contiguitatem tantùm. Quare nec uera unio aut mixtio, sed appositio tantùm, uel iuxtapositio dici meretur. Non aliter quàm simplicia, ex quibus aridum medicamentũ Cephalicum (quod recipit erui ℥. V. ireos, mannæ, aristol. rot. squamæ æris, añ ℥. j. s.) componitur, quamuis in tenuißimum puluerem redigantur, non tamen miscentur tota totis, sed iuxtaponuntur tantùm. Compositio igitur ista per contiguitatem non cõuenit similaribus, de quibus nunc agimus, sed dißimilaribus & organicis tantùm.*

Diuersa, *quia non tantùm uniũtur partes componentes, sed uerè continuantur termino cõmuni, & totis tota miscentur, ita ut minimum unius tangat minimũ alterius. Vera hæc est unio, & mixtio propriè dicta. Cuius exemplum Gal. in Tetrapharmaco basilico statuit: quod recipit ceræ, colophoniæ, picis, adipis taurini, ana partes æquales. Vt enim in hoc medicamento perfectior fit mixtio, quamuis artificialis, propterea quòd simplicia liquefieri & in unum corpus quodammodo coalescere possunt: ita quoque ex mixtione elementorum uera & perfectißima, uera etiam & perfecta unio similarium, hoc est, continuitas oritur, quam ueluti formam cõpositionis similarium cum Galeno statuimus.*

Materia *ex qua componuntur. Omnis compositio multitudinem componentium arguit. Cùm ergo partes quoque similares ex pluribus componantur, natura istorum componentium diligenter est perpendenda (quod infrà cap. undecimo facit) ut contraria contrarijs rectè curari poßint. Hîc satis sit, ὡς ἐν τύπῳ, annotare, quòd elementa, ex quibus partes similares componuntur, uel specie inter se sunt*

Diuersa. *Si hoc, necessarium quoque erit ut morborum alij sint partiũ similarium, alij sint partium organicarum, quæ ex similaribus uarijs & specie diuersis cõponuntur. Similariũ quidem alij sunt pro mutatione principiorum seu elementorum ex quibus constant: alij uerò sunt organicarum, pro mutatione uariarum similarium ex quibus componuntur. Atque ut organici morbi ex uitio magnitudinis, figuræ, numeri & situs componentium dependebant: ita uicißim morbi similarium ex magnitudine, situ, numero & cõformatione elementorum: siquidem elementa miscentur: mixtionis autem terminus ultimus & perfectio est ipsa forma siue temperatura.*

Eadem, *ut si ædes ex solis lateribus essent constructæ. Sic ijdem essent morbi similares & organici. Nam cùm principia siue elementa sint eadem, similaris quoq; partes eædem erunt, non numero, sed specie tantùm differentes: erunt ergo dißimilares quoque eædem, quoniam eandem haberent naturam, magnitudine tantùm, numero, situ & conformatione differentes. Quod quia absurdum est, idcirco, ut in seq. docebit, materia similiarium, elementa scilicet, specie non sunt eadem, quapropter neque numero.*

CAPVT VIII. EXPLICARE INCIPIT QVÆSTIONEM DE ELEmentis, cap, superiore propositam. Primùm autem τὸ ὅτι, siue quòd explicari posit, ostendit.

QVAESTIO de Elementis in præced. cap. proposita fuit disiunctiuè, ut necesse sit alterutrum in similaribus corporibus reperiri, hoc est, Elementa, ex quibus componuntur, uel esse specie eadem, uel diuersa: & ad compositionem similarium concurrere uel per ueram unionem, uel per appositionem tantùm. Perinde enim est, materialiter an formaliter quæstio proponatur. Iam uerò sequitur explicatio, & primùm τὸ ὅτι, quòd scilicet quæstio ista medico digna sit, atq; etiam declarari poßit. Ostēdit ergo Gal. quòd quæstionis huius explicatio à medico fieri

- **Debeat.** Cur autem Gal. tantoperè laboret, ut ostendat quæstionem hanc medicam esse, causa ea afferri potest: quoniam ars medica in actione posita, quæstiones non ualde curat, præter eas solas, quæ ad finem artis conferūt: qualis etiam hæc est. Oportet enim præcepta cuiusuis artis non tantùm uera esse, & consentanea, sed ad finem quoque artis utilia. Ostendit ergo Gal. breuiter quæstionis huius tum
  - **Difficultatem**, quia nec medici inter se, nec cum philosophis consentiunt. χαλεπὰ γὰρ τὰ καλά. Hac tamen difficultate præclara ingenia excitantur ad inuestigandum, ignaua econtrà deterrentur.
  - **Vtilitatem.** Si quis artem constituere uelit methodo (hoc est, ex suis principijs & fundamentis artem deducere, ordine & methodo logica usus: rationemq; potius sequatur, quæ ab uniuersalibus ad particularia progreditur, quàm experientiam, quæ sensu nititur, & in solis particularibus occupatur) necessariò quæstio hæc cognoscenda & explicanda erit. Turpe enim medico foret, principia suæ artis ignorare. Verùm hîc notandum est, quemuis artificem principia suæ artis præsupponere, non autem probare à priori (hoc enim sublimioris scientiæ est) sed interdum à posteriori, nimirum ex effectibus. Sic Arist. in Physicis rerum naturalium principia stabilit: sic Hippocrates elementa corporis humani declarat: sic hoc in loco Gal. elementorum naturam ex effectibus, quos qualitates primæ imprimunt, deducet.
- **Poßit**, non tamen à quouis, sed ab illo tantùm, qui omnibus præsidijs sit instructus, quæ in quarumlibet rerum ueritate indaganda requirūtur. Hæc autem omnia de seipso Gal. non tam ambitiosè quàm uerè profitetur. Porrò quænā sint illa præsidia, inquirēdum est. Quicquid scimus, uel ipsi inuenimus, uel ab alijs accepimus. In hac igitur scientia siue cognitione diligens est habenda ratio tum
  - **Patientis**, siue eius quod cognoscitur, de quo scientiam habemus aut acquirimus. Sic scientia tantùm illarum rerum potest haberi, quæ rationem & intellectum nostrum non superant. Atqui, teste Arist. nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Ergo ea tantùm, quæ ex sensibilibus deducuntur, uel certè in ijs uerè subsistunt, à nobis sciri & cognosci possunt. Et proinde duplex est cognitio, altera αἰσθητική, altera διανοητική: ut in procemio primi Posteriorū Analyticorum docet Philosophus. Hanc porrò conditionem, quæ in eo quod cognosci debet requiritur, Gal. hoc in loco prætermittit. Vt enim philosophi est, ea quæ sciri possunt indagare: ita ea quæ supra nos sunt scire uelle, stulti; ne dicam amentis, esset. Est enim philosophia diuinarum & humanarum rerum scientia, non absolutè, sed quatenus à nobis sciri possunt.
  - **Agentis**, hoc est, cognoscentis, siue inueniat, siue discat ab alio. In cognoscente ergo septem præsidia requirit Gal. quæ ad tria reuocari possunt, quibus omnes artes et scientiæ tanquā subiecta perficiūtur, & simul quoq; ipse cognoscens. Sunt autem ista:
    - **Natura.** Sub qua comprehendimus tum
      - **Interna:** uidelicet
        - **Ingenium.** Prima hæc est conditio. Aristot in Top. inquit, δεῖ εὐφυᾶ εἶναι.
        - **Studium ueritatis**, & affectus philosophicus, non sophisticus aut contentiosus. Hæc est ordine quinta conditio.
      - **Externa**, sita partim in
        - **Alijs**, ut in parentibus. Educatio proba. Secunda conditio.
        - **Nobis.** φιλοπονία. Labor & industria. Quarta conditio.
    - **Ars.** Vide in seq. signum ✻
    - **Exercitatio** siue usus, ut uniuersalia præcepta in particularibus exemplis confirmet, siue contempletur siue agat. Vsus autem consistit tum in γνώσει, tum in πράξει. De quibus aliàs. Hæc est septima conditio.

* **Ars.** *Quando discimus, discimus ab alio, qui non nisi ordine nos docere potest. Quando inuenimus, methodo indigemus. Sub Arte igitur comprehenduntur tum*
  - **Præceptores** *tam muti quàm uiui. Studendum autem, ut paucos eosq́; optimos audiamus, legamus, imitemur: & quod in 8. Top. Arist. uult, exempla Homerica non Chœtilea sequamur. Hæc tertia est ordine conditio.*
  - **Methodi** *(quæ sexta est conditio) hoc est, compendia siue instrumenta tum*
    - **Docendi.** *Maximum enim argumentum est uiri docti, posse alium docere, inquit Plato in primo Alcibiade. Quapropter in ἰδέᾳ, in μεθόδῳ, in τάξει (quæ tria Gal: artem demonstrationis & logicam paßim uocare consueuit) optimè uersatum esse oportet. Hæc tamen conditio ad præceptores propriè referri debet.*
    - **Discendi.** *Discere oportet, & ea quæ didiceris, memoria fideliter retinere. Quod si nequeas, commentarijs τῶν ὑπομνημάτων, siue locis communibus, ut uocant, erit opus. Quorum rationem Aristoteles in primo Topic. 12. breuiter & ingeniosè proposuit.*

CAPVT IX. QVÆSTIONEM DE ELEMENTIS ΚΑΤΑ ΤΟ ΔΙΟΤΙ GEneraliter explicat, hoc est, generalem naturam elementorum syllogismo Hippocratico demonstrat.

Τὸ διότι quæstionis de Elementis explicare aggreditur: & primùm generalem naturam elementorum proponit, nempe quòd pars similaris ex elementis non ijsdem specie, sed diuersis, ijsq́; inuicem mutabilibus, componatur. Vbi quidem notandum est, quòd philosophus naturalis elementorũ naturam inuestigat, partim ex generatione rerum naturaliũ, tanquam ab effectu: ut ex lib. Arist. posterioribus de cœlo, constare potest: partim à priori, ex principijs primis, à materia nimirũ & forma. Medicus uerò ex communißimo accidente sensus tactus, ex ipso scilicet dolore, qui naturæ maximè cõtrarius est (quemadmodum econtra uoluptas maximè amica) elementorum naturam deducit. Quare medicus non à priori, sed à posteriori tantùm principia sua probat: quod cuiuis artifici cõcessum est. Elementorũ itaq; naturam Galenus ex dolore corporis mixti similaris animati inuestigare nititur, rationis adminiculo, Hippocratem imitatus: quemadmodum econtrà organicarum naturam, materiam scilicet similarem & formam externã, id est, compositionem, ipsius sensus beneficio, per anatomen solam, inueniendam esse, in præcedentibus monuit, & in anatomicis libris docuit. Verùm quod in superioribus fecit, idem & nunc facit. Neq; enim in omnibus similaribus elementa singillatim inuestigat, sed in sola Carne: quæ omnium reliquarũ exemplo inseruire poterit. Proposita ergo carne simplici, ex quibus cõponatur elementis, inquirendum est. Generalem illorum naturam, quòd scilicet sint specie diuersa, & inuicem mutabilia, syllogismo Hippocratis, ex lib. de Elementis deducto, colligit, qui talis est: Si homo esset unũ, non doleret. Atqui dolet. Ergo non est unum. Hoc syllogismo constituto, omnes antiquorum opiniones tolluntur: quas hic cum Gal. paucis explicabimus: exactiùs enim de illis in commentarijs nostris in primum Physicorum Arist. egimus. Pars similaris composita est, ergo ex pluribus numero. Plura ista uel sunt specie

- **Eadem.** *Sic confinxerunt*
  - **Atomos,** *Democritus & Epicurus.*
  - **Incompactilia** *quædam corpuscula, siue τὸ ἄναρμον, Asclepiades: neque enim per ueram mixtionem uniri, sed mutua tantùm appositione sese inuicem contingere arbitrabatur.*
  - **Minima** *quædam elementa alia alij.*
  - *Omnes istæ opinioes, quamuis diuersæ, conueniunt in eo, quòd principia specie eadẽ constituunt. Quare unoquoque & eodem argumento (Gal. primam rationem uocat) oppugnantur: quod tale est: Si ex ijsdem specie caro cõponeretur, non doleret, quando uel continuitas eius soluitur, uel eiusdem qualitas immutatur: nam quia unum est, nihil est præterea in quod mutari poßit. At dolet. Non ergo ex ijsdẽ specie elemẽtis componitur: & per consequens, non unum est corpus siue homo, ut etiam dicebat Hippocrates.*
- **Diuersa.** *Eaq́; rursus uel*
  - **Immutabilia,** *siue nõ alterabilia. Sic statuebat*
    - **Similaritates,** *τὰς ὁμοιομερείας, Anaxagoras.*
    - **Elementa** *quatuor, Empedocles.*
    - *Conueniunt in elementorum ἀπάθειαν. Tolluntur ergo eadẽ quoq; ratione, quam Gal. secundam uocat. Est autem talis: Si ex impatibilibus cõstaret caro, non doleret. Nunc uerò dolet. Non ergo ex impatibilibus, non ergo ex immutabilibus elementis corpus componitur.*
  - **Mutabilia** *seu alterabilia. Cùm superiores omnes partes sint cõfutatæ, relinquitur hanc ultimam ueram esse, nempe quòd Caro ex diuersis specie elementis & inuicem mutabilibus per totum componatur. Et hæc generalis est natura elementorum. Particularis eorũdem declaratio pro quæstione cap. 7. proposita, in seq. duobus capitibus absoluetur.*

CAPVT X. QVÆSTIONEM DE ELEMENTIS PARTICVLARITER explicare incipit. Primùm ergo ex syllogismo Hippocratico formam seu modum compositionis similarium ex ipsis elementis declarat.

VIM Hippocratici syllogismi Gal. declarat, ab ijs solis amplectendam, qui septem illa præsidia, cap. 8. proposita, habuerint: hoc est, qui uel ex primo genere hominum (ut Hesiodus diuidit) fuerint, sapientes uidelicet: uel ex secundo, qui sapientum monitis parere norunt. Nam tertij generis homines, qui nec ipsi sapiūt, nec sapientibus obsequuntur, οἳ δ᾽ αὖ τ᾽ ἀχρήιοι ἀνέρες εἰσιν. Itaq; cùm in quæstione de elementis, cap. 7. proposita, quatenus elemēta materia sunt ex quo similares partes componuntur, duo cōsideranda essent, forma, seu modus compositionis, & materia: in hoc cap. 10. formā ipsam expedit, quòdq; compositio fiat per cōtinuitatem, ex ipso dolore, qui ex continui solutione oritur, ostendit. Ex syllogismo igitur Hippocratico in superiore capite collegimus elementa omnium partium similarium in uniuersum: hîc autem exemplum de Carne afferens, ostendit elementa carnis esse pariter

Mutabilia inuicem et alterabilia. Dolor enim passio est. Passio fit à mutatione. Patitur autem omnis pars similaris, non omnis tamē dolet, hoc est, passionem sentit. Quandoquidem dolor nihil est aliud, quàm tristis sensus ipsius passionis. Ex doloris igitur specie aliqua (ea uidelicet, quæ continui solutionem sequitur) una pars quæstionis de elementis capite septimo propositæ declaratur, nempe quæ sit forma seu modus compositionis, quomodóue cō currant elementa ad compositionem similarium. In partibus itaq; similaribus, pro natura elementorum cognoscenda, & pro forma seu modo compositionis similarium, considerari debet tum

Passio ipsa, siue dolor, qui parti similari accidit, uelut accidens, quod consequitur causas ex quibus cō ponitur, hoc est, elementorum componētium uel

Formam: quæ ut & rationem nostram subterfugit, & sensus nostros latet, ita per qualitates primas se cognoscendā exhibet: ex quarum crasi oritur in partibus similaribus Tēperatura, cuius immutatio dicitur propriè Alteratio. Cùm autem sit præter naturā partis, idcirco semper quidem passionem infert in quauis parte, non semper tamen dolorem, sed tunc tantùm, quando cōfertum sit, & uehementer, & in parte quæ sensu exquisito prædita est. Neq; tamen alteratio ad modū compositionis intelligendum aliquid confert (formam enim sequitur, non materiam) sed hîc tantùm connumeratur, ne à sola continui solutione dolor uel passio corporum prouenire uideatur.

Materiam primam, quæ communis est omnibus rebus naturalibus & proinde etiam elementis. Hæc non sensu, sed ratione sola cognoscitur: actu nihil, potentia omnia. Quando formam suscipit, etiā accidentibus suis determinatur, quātitate uidelicet, numero, conformatione, &c. Vnde in partes similes quodlibet elementum diuidi potest, numero non specie differentes. Verùm in mixtione seu generatione similariū corporum, partes minimæ cuiuslibet elementi, alterius elementi minimis particulis totæ totis miscentur, uera unione & cōtinuitate, non tantùm contiguitate, ut in similaribus. Quam quidem unionem nos suprà cap. 7 formam siue modum compositionis similarium uocauimus. Solutio ergo huius unitatis in parte sensibili dolorem affert. At dolor (quod cap. 7. inquirendum proponebatur) indicat non eandem esse cōpositionem similarium ex elementis, & organicarum ex similaribus: sed similares per cōtinuitatem cōponi, organicas per solam contiguitatem. Contigui autem solutio per se dolorem non affert, nisi quatenus unà etiam continuitas similarium soluitur. Quod quidem exemplo digitorum declarat: qui si colligantur, & denuo soluuntur, nullum dolorem persentiunt, quia id tantùm quod cōtiguum est soluitur. Quare nec si homo ex incompactibilibus cōponeretur (ut Asclepiades uoluit) doleret, quia illa per contiguitatem tantùm componūtur: præter id, quòd temperatura carent, & propterea sensu quoque destituuntur. Oritur enim temperatura ex uera qualitatum mixtione, eademq; sensum partibus affert.

Passionis sensus, Dolor scilicet. Cū igitur uariæ sint partes corporis, pro uaria tēperatura et mixtione elemētariū qualitatū, atq; adeò patibilitatis huius expressione, ex qua diuersæ partiū proprietates oriuntur: necesse est, ut quamuis omnes partes similares pati possint tū alterationē, tum solutionē cōtinui, non tamen in omnibus dolor reperiatur, sed mutationē aliæ

Sentiant, quando scilicet dolent, aut uoluptate perfunduntur, magis minus'ue, pro uaria partiū temperatura, & influētis à cerebro facultatis copia. Sentiunt autem partes, non quia cōponuntur ex elementis, quæ uim sentiēdi habent: sed quia elemēta ipsa patibilia, redacta sunt ad eā temperiem in mixtione, ut mixtū corpus sentire possit. Not. autem, quòd hoc in loco Gal. expressè dolorē uel ab intemperie uel à solutione cōtinui prouenire asserit.

Non sentiant. Mutantur quidem & patiūtur, ut effectus ipse declarat, quē medicus iudicio sensus deprehēdit: uerùm mutationem hanc siue naturæ amicā, siue eidem contrariā, non sentiunt, non dolēt, nullā uoluptatem percipiunt. Cōueniunt ergo cum ἀνάρμων Asclepiadis, quia non sentiunt: differunt, quia nihilominus patiuntur.

Spēcie inter se diuersa. Ex quo deinde altera pars quæstionis propositæ de Elementis, nempe quæ sit materia compositionis similarium corporum, declaratur. Vide cap. 11. seq.

CAPVT XI. MATERIAM COMPOSITIONIS SIMILARIVM DECLARAT. Quæ secunda erat pars propositæ quæstionis de Elementis.

Secunda pars quæstionis de Elementis, suprà cap. 7. propositæ, erat, Quę nã esset materia compositionis similarium partium: hoc est, quæ & quot numero elementa essent. Illam ergo in præsentia explicare conatur. Pro cuius intelligentia obseruandũ est, quòd sicuti Arist. in Physicis naturalia principia ex effectibus inuenire docuit, ex generatione scilicet & corruptione, ex alteratione, ex incremento: ita hîc Gal. principia materialia corporum similarium ex effectibus deducit, hoc est, ex mutatione, quæ corporibus similaribus accidit, eaq́; uarijs morbis obnoxia reddit. Vnde tandem corollarium elicitur (quod cap. 7. in dubium uocauerat) diuersos esse morbos similarium à morbis organicarum partium. Vtitur autem resolutione Gal. hunc ferè in modum: Mutatio siue Alteratio (communiter sumpto uocabulo) partium similarium est cognoscenda. Sed motus est. Ergo tria consideranda erunt. Primò quidem mouens duplex: tum quod, elementũ scilicet: tum quo, qualitas tactilis, uelut instrumentum. Secundò, mobile, quod mouenti contiguum esse debet. Tertiò, motus ipse cum suis terminis, à quo, & ad quem. Verùm quia instrumento rectè cognito, etiam reliqua propter affinitatem & communitatem facilè cognoscuntur: idcirco Qualitates agentes siue alterantes diligenter sunt inuestigandæ, ex quibus elementorum natura dependet. Inuestigabuntur autem commodè per enumerationem effectuum, hoc est, mutationum, quas corporibus afferunt. Mutatio enim similaribus partibus accidens (quod in præcedenti quoque capite notauimus) alia est

Materialis, *ipsa uidelicet continui solutio. Continuitas enim partium compositarum est, cõmuni termino unitarum. In similaribus igitur partibus continuitas est, & mutatio accidens dicitur unitatis solutio. Neq; tamen mutatio ista quicquam ad elementorũ numerum inuestigandum facit, quandoquidem elementa solutionem unitatis non patiuntur, quia simplicia sunt, & ex nullis alijs mixtis prioribus componuntur. Quoduis enim elementũ unum est, si per se consideretur: sin uerò cum alio coniunctũ spectetur, erit iam mixtum corpus, non simplex elementum. Quòd si ergo unitatis solutio, ueluti effectus, in elemento tanquam simplicißimo corpore non datur: neque etiam qualitates effectrices, quæ quouis modo continuum soluere possunt, à nobis, qui naturam elementorum inuestigamus, considerandæ erunt. Quare nec secans, nec pungens, nec contundens actio, partis similaris materiam, hoc est, elementa quæ & quot sint, poterit demonstrare. Iam enim ex præcedentibus constitit, esse specie diuersa. Si specie, ergo forma. Si forma, ergo mutatio illa, quæ à forma elementi imprimitur, talis erit, ut etiam pars similaris, quæ mutatur, non tantùm simpliciter, sed in tota sui substantia patiatur secundùm qualitatem, alteretur, & acquirat qualitatem diuersam ab ea, quam forma sua requirebat. Hoc est ergo, quod hîc dicit Galenus: Etsi quid partem similarem aut diuellat, aut tundat, aut pungat, aut secet, id sanè aliquid facit, tamen illa eius alteratio (communiter sumpto uocabulo) non ita per totam rei substãtiam penetrat, ut in aliã substantiæ speciem rem immutare poßit, sicut illam potest in plura partiri. Sed simulac in qualitate alteratur, ut quando nix calefit, mutatur tota substantia, & in aquam transit. Ex mutatione ergo materiali, hoc est, ex continui solutione, elementorum naturam aut numerum habere non possumus.*

Formalis, *quæ in partium temperatura accidit, & Alteratio propriè dicitur, quoniam partis similaris substantiam alteram facit, illius qualitatem immutando. Temperatura porrò partis est terminus ultimus mixtionis, consurgens ex crasi elementarium qualitatum, quæ aut formæ sunt elementorum, aut certè accidentia inseparabilia quæ formas comitantur. Natura igitur elementorum (quorum numerũ Philosophus in lib. de cœlo ex ipso motu deducit) ex hac mutatione seu alteratione, quæ similaribus accidit merito temperaturæ per qualitates primas (quandoquidem in elementis etiam simplicißimis reperitur) potest colligi à medico, prout morbus & sanitas hinc oritur. Posita autem est natura istatum in*

Materia *prima omnibus communi, in cuius notitiam philosophi ex transmutatione corporum aßidua deuenerunt. Medicus igitur materiam ueluti subiectum alterationis præsupponit, atque philosopho credit: solam formam per qualitates agentem considerat, ut à quibus corpus alterari, & uarijs morbis affici potest.*

Forma, *quæ aut latet, aut certè primis qualitatibus definitur. Ex formarum autem diuersitate elementorum quoque numerus pendet. Igitur quot erunt alterationis differentiæ secundùm qualitates in mixto similari, totidem quoque erunt elementa, à quarum forma alteratio ista prouenit. Iam uerò quia alterantium qualitatum aliæ primæ sunt, aliæ secundæ, primæ ad primorum corporum inuestigationem potißimùm cõferent. Alteratur ergo similare corpus secũdùm qualitates primas quatuor tam actiuas quàm paßiuas, tam simplices quàm compositas. Quare elementorum quoq; alterantium idem erit numerus. Nam in quolibet elemento una qualitatum cõiugatio reperitur, quamuis in altera qualitate excellat. Vt ergo sunt quatuor coniugationes, ita etiam elementa quatuor. Quorum theoria in Diexodicis libris absolutior tradetur. Satis sit hîc digitum ad fontem intendisse, & quomodo ex alteratione uelut effectu (qui in similaribus corporibus merito elementorum ex quibus componuntur reperitur) numerus elementorũ colligi queat, ostendisse: atq; adeò quæstioni ab initio propositæ, de materia remota similariũ corporum, satisfecisse, apud illos, qui ueritati rerum student, & logicæ demonstrationis, hoc est, methodorũ logicarum, non sunt ignari. Vt etiam cap. 8. monuerat. Materia ergo remota similarium corporum sunt elementa quatuor, ignis, aër, aqua, terra, specie inter se differentia, & inuicem mutabilia.*

CAPVT XII. DE FORMA PARTIVM SIMILARIVM.

Ex potentia materiæ educitur forma. Postquàm ergo Gal. materiam remotam simul & proximã partium similarium exposuit, annectit nunc formam, ex uaria materiæ mixtione prouenientem. Semen enim & menstruũ ex elementis componũtur, eorundemq́; naturam retinent & imitantur. Elementa autem specie sunt diuersa (prout uariæ sunt formæ, suis qualitatibus præditæ) & alterabilia inuicem, pro uaria efficientia primarum qualitatum. Itaque uim suam imprimũt semini & sanguini menstruo, & per cõsequens partibus similaribus. Ex mutua igitur actione & paßione qualitatum consurgit temperatura, ueluti forma partis similaris, quatenus est ens naturale: nam quatenus est pars corporis animati, formã aliam habet, animam scilicet. Ex hac duplici forma, duplex quoq; consideratio partis similaris habetur. Vt enim corpus similare est

Mixtum ex elementis, sic formam propriam habet Temperaturam, ex mixtione qualitatum elementarium resultantem, uelut ex cõcentu fidium harmonia. Cùm autem in omni mixtione quædam qualitates uincant, quædam uincantur, fit etiam ut temperatura mixti corporis sequatur prædominium qualitatis exuperantis, & proinde nouem dentur temperaturæ, non tantùm totius, sed etiam partium similarium. Vna enim pars temperatißima constituitur ueluti cẽtrum medium, nimirum cutis uolæ manus: aliæ omnes uel una qualitate tantùm, uel cõiugatis duabus temperiem mediam excedunt: ut Gal. in lib. de Temperaturis, & Auicenna in prima primi, docent. Nos hîc breuiter similarium partium temperaturam simplicem enarrabimus, ex qua facile quis cõpositam intelligere queat. Itaq; membrorum temperatura triplex est. Alia Innata, ex mixtione quatuor elemẽtorũ in ipso semine & menstruo, quam comitatur calor innatus & humidum natiuum, quorum uinculum est ipse spiritus. Alia Influens: sic à corde calor, ab hepate humidum, à cerebro sensus atq; motus influit. Tertia ex utrisq; composita, per quam ueluti instrumentum animæ, membrum omnes suas actiones obit. Ex temperatura igitur diuersa, diuersimodè quoq; partium qualitates in eodem indiuiduo humano iudicantur. In eodẽ dico, nõ in diuerso: nam alioqui Æthiops cum Germano, Socrates cum Platone, aut in uniuersum species humana cũ leone uel aquila uarijs modis conferri potest: de qua collatione exactiùs agetur in tractatione temperaturarũ ex professo. Partes aũt intelligimus generaliter corpora quæuis similaria. Proinde Auicennam secuti, spiritum, pituitã, pilos quoq; inter partes similares cõnumeramus. Ex temperatura igitur composita ex innata & influente iudicatur partium quarumlibet natura. Verùm quia qualitatum uis est diuersa, idcirco fit, ut partes aliæ κατ' ἐξοχὴν iudicari dicantur secundùm temperaturã influentem, aliæ secundùm innatam. Sic plantæ quamuis calorem habent & humidum innatum, excitatur tamen calor à cœlesti calore influente: humidũ uerò facultate insita ex terra sugunt, & in alimentum conuertunt. Iudicantur igitur ex temperatura

- Influente, partes calidæ & frigidæ: quia actiuæ qualitates agendi uim habent maximam, ita ut alterare poßint ipsam innatam temperaturã: sicut etiã à corde potißimũ totus habitus immutatur. Nam influẽs calor non patitur, sed agit tantùm. Ex influente ergo temperatura iudicantur partes
  - Calidæ. Quæ ut specie differunt, ita quoque gradu caliditatis. Hunc autem ordinem habent: Spiritus uitalis cum corde, omnium calidißimus: mox sanguis beneficio spiritus: deinde Hepar, Caro, Musculi, Splen, Renes, Arteriæ, Venæ, Cutis uolæ manus.
  - Frigidæ: quarum hæc est series. Pituita omniũ frigidißima, deinde Pili, Os, Cartilago, Ligamentũ, Tendo, Panniculus, Nerui, Medulla spinalis; Cerebrum, Adeps, Pinguedo, Cutis reliqua.
- Innata, partes humidæ & siccæ. Causa est, quia paßiua qualitas influẽs minus est efficax quàm sit innata, propter minimam agendi uim. Quãuis enim ex hepatis temperatura mutatur quoque totius corporis habitus secundùm paßiuas qualitates, tamen nisi maior sit humiditas innata membro, quàm sit influens ab hepate, non poterit à sola influente temperatura membrũ humidum effici. Humidum enim influens patitur potius à membro concoquente, quàm quòd agat. Ex innata igitur temperatura iudicantur partes
  - Humidæ. Primum locũ habet pituita. Succedit sanguis cum spiritu, cuius merito fit fluxibilior. Pinguedo, Adeps, Cerebrum, Medulla spinæ, Caro mammillarũ & testiculorũ, Pulmo, Hepar, Lien, Renes, Musculi, Cutis.
  - Siccæ, inter quas primas obtinent Pili: deinde Os, Cartilago, Ligamentũ, Tendo, Pãniculus, Arteriæ, Venæ, Nerui motiui, Cutis, Nerui sensitiui, denique ipsum Cor.

Animatum, sic animã habet pro forma, quæ per temperaturam ueluti instrumẽtum in alio mẽbro seu parte similari alias exercet operationes, ex quibus anima ipsa cognoscitur. Quædam enim actiones animæ cõueniunt partibus similarib.

- Omnibus ex æquo, quia omnes partes corporis animati necessariò
  - Viuunt. Itaque uitalem facultatem à corde per arterias transfusam recipiunt.
  - Vegetantur. Sic naturalem habent facultatem seipsas nutriendi & augendi ex alimento quo affluit ab hepate.
- Quibusdam tantùm, nimirum Animales, non tamen internæ (quæ solius cerebri propriæ sunt) sed externæ tum
  - Mouendi. De his nihil in præsentia. Quamuis enim actio motus primò & per se similari parti conuenit, ut cap. 3. & 4. docuimus, tamen in parte organica spectatur ueluti cõmunis effectus omniũ similariũ ex quibus organum cõponitur. Idcirco superiùs organicarum partium formam atq; materiam ex ipsa actione declarauit. Nihil tamen uetat, etiam non commemorante Gal. motiuam actionem tanquam argumentum mouentis animæ in parte similari constituere.
  - Sentiendi. Sensus quidem alij in proprijs sunt organis: tactus uerò omnium communißimus, per omnia sensoria reliqua, atq; etiam per similares partes diffusus est. Cõmunißimum autem natura dedit, ut animal ea, à quibus lædi cõsueuisset, sentire & declinare posset. Porrò sentiendi facultas à cerebro influit per neruos, & recipitur in parte similari ad recipiendum apta, hoc est, quæ ad certam temperiem, ex elementarium qualitatum mixtione redacta est, ut sensus particeps esse posset beneficio neruorum mollium. Sic ergo quamuis omnes partes (ut suprà cap. 10. dictum fuit) patiuntur, non omnes tamen paßionem sentiunt, siue dolent. Quapropter aliæ partes sensum habẽt, propter neruos quos suscipiunt: aliæ sensu destituentur, quia neruis carent.

CAPVT XIII. DE MEDICINÆ FORMA.

POSTQVAM medicinæ materiam ex fine suo deduxit, nunc artificiosè ex ipsa materia formam elicit. Nam in partium organicarum explicatione facta est mentio actionũ, quæ ab ipsa profluunt. Pariter in similariũ partium materia, siue in quæstione de Elementis explicãda, diligentiã adhibendam esse monuit, quoniam ex elementorum componentiũ natura, morborum quoq; uarietas pẽdet, quæ nulla esset, si elementa essent specie eadẽ. Atqui salubritas & insalubritas siue morbus, formã medicinæ constituunt, de qua nunc acturus est. Formam autem medicæ artis uoco, secundùm quã contemplatio medici differt à reliquorum artificum cõtemplatione, qui circa idem corpus humanum uersantur. Medicus enim corpus humanum considerat ut salubre & insalubre est, & uel conseruatione uel curatione eget. Forma porrò ista, scilicet salubritas & insalubritas, ex potentia materiæ educitur, hoc est, ex actione & passione mutua elementariũ qualitatum. Quod quidem artificiosè admodum Gal. ostendit, occasione ex eo sumpta, quòd similariũ partium integritatem & uitium ex elementorũ moderatione & immoderatione oriri superiùs asseruit. Itaque uideri cuipiam posset Gal. morbos & salubritatem similarium secundùm temperiẽ tantùm tractare uelle: cùm tamen reuera ordinis ratio id exigat, ut de salubritate & insalubritate agat, nõ quatenus à temperatura solùm pendent, sed etiã quatenus à compositionis & unitatis uitio uel integritate occasionem sumũt. Quod quidem Gal. exemplo nauis, lecti, uestis & calcei declarare uelle uidetur. Breuitatis autem studio (quam in hoc libro mirè affectat) in uno tantùm ostendit, quod in cæteris eiusdem generis pari ratione subintelligi possit. Forma igitur Medicinæ materialis est, hoc est, materiæ inuersa: atq; ideo in 2. & 3. cap. Artis med. semper cum subiecto suo salubritatem & insalubritatem coniunctam tractauit. Quapropter ut clariùs intelligatur natura & proprietas huius formæ, perpendi debet tum ratione

- Essentiæ *suæ, à qua tria corporis bona profluunt, & uicißim totidem mala. Nam secundùm qualitatem*
  - Materialem, *unitatem uidelicet, quæ in partibus organicis simul & similaribus reperitur, Pulchritudo & Deformitas promanat.*
  - Formalem *tum*
    - Externam, *in partibus organicis, compositio* συμμετρίαν καὶ ἀσυμμετρίαν *efficit.*
    - Internam, *in partibus similaribus, temperatura* εὐκρασίαν καὶ δυσκρασίαν *parit.*
- Consequẽtium *ipsam essentiam. Cùm enim essentia, potißimũ forma interior similariũ partiũ, nequeat per se deprehendi, saltem ex ijs, quæ essentiã immediatè consequũtur, inuestiganda erit. Huc ergo tota signorũ sylua & tractatiò referenda erit, per quæ corporis interna affectio, siue forma medicæ artis, cognoscitur. Ex signis autẽ alia consequũtur qualitatem essentiæ*
  - Formalem: *ea uidelicet, quæ ab Actionibus ducuntur. Ex actionibus enim, ueluti signis immediatis indicantibus formam interiùs latentem, salubritatem scilicet & insalubritatẽ, nostram hanc theoriã deducere possumus, si actionũ quarumlibet considerauerimus tũ*
    - Causas. *Nam cùm aliæ aliarũ partiũ sint actiones, conueniunt tamẽ in eo, quòd causa actionum quarumlibet*
      - Prima *& efficiens est natura siue temperies partis. Quapropter parti similari etiam motus ipse primò & per se debetur.*
      - Secunda, *siue coadiuuans est qualitas tum*
        - Formalis, *externa, Compositio scilicet, quæ in situ, numero, conformatione & quantitate consistit, non tantùm in partibus organicis, uerùm etiam in similaribus.*
        - Materialis, *Vnitas nimirum, non modò in similaribus, sed etiam in organicis.*
    - Accidentia *siue qualitates, uitium & integritatem actionũ: à quibus, uelut à forma, tota medici theoria & praxis circa corpus humanum dependet. Ex actionibus enim corpora primò, deinde causas & signa merito corporũ, diuidit in salubria, in insalubria & neutra: ut in 2, & 3. cap. Artis med. obseruauimus. Simili rationis modo, actiones hoc in loco diuidit, quòd aliæ sint*
      - Inoffensæ, *tum*
        - Simpliciter *& exquisitè, ita ut meliores in specie humana dari nequeant. Corpus arguũt temperatißimum, & optimam constitutionem, quæ sit instar statuæ Polycleti.*
        - Secundùm *quid, ut quamuis in corpore suo salubres uideãtur, tamen si cum corporis optimè constituti actionibus conferantur, debilitatæ apparebunt, uel ratione temperiei, uel ratione compositionis. Corpus igitur sanum quidem erit, non tamen optimè constitutum. Habet autem maximam latitudinem: nam octo intemperies salubres, & corpus insuper neutrum comprehendit.*
      - Offensæ: *cuiuscunque fuerint generis, aut cuiuscunque partis propriæ, corpus indicãt insalubre & ægrum quacunque insalubritate. Hîc satis sit genus indicasse.*
  - Materialem: *Paßiones nimirum, sub quemcunq; sensum cadant, tum ægri tum medici. Has in præsentia Gal. omittit: quoniam formam medicam per ea quæ formam consequuntur, & plurimum momenti in sanitate aut morbo indicando habere possunt, declarare instituit.*


CAPVT XIIII. TRANSIT À TRACTATIONE CAVSARVM SEV principiorum Medicinæ, ad ipsos EFFECTVS.

HACTENVS causas siue principia medicinæ Galenus ex ipso fine deduxit. Quibus cùm tota ars medica contineatur, sequitur necessariò illorum cognitionem, totius quoq; artis cognitio, generalis scilicet & cõfusa: nam particularis & distincta ipsorum effectuum, seu actionum particulariũ cognitio, in seq. erit tradenda. Et hoc est quod hîc Gal ait: Iam quidẽ oratio nostra salubrium corporum atq; etiam morbosorum notitiam ferè peperit, non tamen eam uniuersam, sed magis aliquam illius speciem, & uelut exemplum quoddam. Totam uerò tam salubrium quàm morbosorum corporum scientiæ substantiam assequemur, quum ipsas species ad materias aptauerimus. Quasi dicere uelit: Tunc totius medicinæ præcepta tenebimus, cùm causas ipsas, formam scilicet, quæ salubritas & insalubritas est, cum materia, hoc est, cum corpore humano coniunxerimus. Hoc autẽ si fiat, effectus hinc prosiliet duplex: alter quidẽ, operatio circa corpus salubre, alter uerò circa corpus insalubre: de quibus nunc agere Gal. instituit. Transit igitur à causis ad effectus. In quo quidem transitu rationem habet tum

- **Præcedentium.** Nam per ἀνακεφαλαίωσιν (quæ in Resolutiuo ordine frequens esse consueuit) repetit capita eorũ quæ de principijs medicinæ hactenus dicta sunt. Nempe quòd medicinæ finis in opere siue in actione cõsistat. Actio autem proba esse nequit, nisi subiectũ cognoscatur. Sic ergo de materia egit, id est, de corpore humano: in quo primùm partes organicas, deinde partes similares declarauit. Mox quia subiectum hoc non tantùm absolutè cognoscendum erat ex quibus constaret, sed eius rei gratia, ut affectio, seu qualitas, seu forma illius (per quam medici tractatio differt à tractatione reliquorum artificum, qui circa idem corpus humanum uersantur) cognosceretur per suas actiones, sanum esset nécne, & proinde uel conseruatione uel restitutione siue curatione egeret: ideo tandem subnexuit formam medicam, salubritatis scilicet & insalubritatis cognitionem, quæ finem quoque particularem in se continere uidetur: quandoquidem salubritas conseruari postulat, insalubritas uerò curari & profligari.
- **Sequentium.** Post generalem cognitionem causarum, easdem particulares quoque nunc examinare oportet, & formæ cõiunctionem cum materia in singulis partibus corporis perpendere. Ex hac enim coniunctione effectus prodit, in quo particularis actio & finis medici uersatur, curando, præseruando, conseruando. Particularẽ autem tractationem uoco, respectu generalis materiæ & formæ suprà traditæ: quamuis in hac quoq; uniuersalis ratio operandi circa particulare subiectum in quocunque indiuiduo tradatur. Considerat ergo medicus corpus humanum forma sua indutum medica, sanitate scilicet & morbo. Atque ut triplex est subiectum particulare siue effectus, ita quoque Gal. quodlibet seorsim examinat. Aliud enim corpus est
  - **Ægrum**, quod duplici modo Galenus cognoscere docet, ut actio curatiua rectè institui queat: nimirum tum
    - **Generaliter**, ut sciamus
      - **Quid** sit agendum, siue modum agendi. Hoc forma morbi nobis indicabit: nempe contrarium contrario curari debere. Cap. XV.
      - **An fieri** possit. Hoc nos docebit inprimis quidem materia morbi, deinde uerò etiam forma. Huc ergo pertinet consideratio
        - **Efficientis**, à quo fit actio. Caput XVI.
        - **Instrumenti**, per quod fit actio. Cap. XVII.
    - **Particulariter.** Oportet enim cognoscere
      - **Actionem** ipsam, hoc est, curationẽ. Cùm ergo motus sit, considerari debet
        - **Patiens**, seu mobile, seu materia in qua fit motus, per sua signa Diagnostica. Cap. XVIII.
        - **Agens**, seu mouẽs per instrumenta opportuna, siue per materiam ex qua. Cap. XIX.
      - **Actionis successus**, per signa Prognostica. Cap. XX.
  - **Neutrum**, & uel
    - **Ante morbum.** Præseruatio, προφυλακτική. Cap. XXI.
    - **Post morbum.** Ἀναληπτική.
    - Ratio eadem & generalis, capite XXII. proponitur.
  - **Sanum**, ὑγιεινή, Conseruatio.

CAPVT XV. DE MODO AGENDI GENERALI, SIVE DE generali cognitione, QVID agendum sit in corpore ægro, ratione formæ, hoc est, speciei ipsius insalubritatis.

CVM medicina in actione consistat, primùm omnium corpus ægrum siue insalubre (nunc enim pro uno & eodem sumimus: quomodo inter se differrent, in primo cap. Artis medic. declarauimus) quod plurimum negotij medico faceßit, aggreditur Galenus per resolutionem compēdiosam admodum & breuem. Quamuis enim latißimus philosophandi campus hîc pateat, tamen non præsentis est instituti, diexodicè singula enarrare, sed per synopsim tantùm. Ex natura igitur corporis affecti generalem quoque circa corpus ægrū operandi rationē deducit. Et primùm in hoc capite, Quid agendum sit, ratione formæ, declarat: deinde An fieri poßit, in seq. cap. examinat. Quapropter in præsenti cap. supponit (hoc enim instrumento siue methodo resolutiuæ peculiare est) ægrum sano esse cōtrarium, ut immoderatū moderato, & præternaturale naturali. Moderatum in medio consistit: immoderatum tum in excessu, tum in defectu ad latera abscedit. Moderatum quidem suo simili conseruatur: immoderatum suo dißimili curatur. Vt ergo corpus ægrum ad sanitatem reducatur, contrario ægritudinis opus erit: uerbi gratia, si ægritudo sit in excessu, opus erit contrario in defectu. Nam cùm ægritudo sanitati opponatur ueluti moderato immoderatum, quia hæc contraria sunt, ideo non datur transitus à contrario in contrarium absque medio agente, & media etiā forma. Hoc est quod Gal. hoc in loco monet, inquiens: Id quod præter naturam est affectum, dum ad naturalem statum redit, illa eadem quasi uia incedit, quam prius cōfecerat, sed ordine retrogrado. Verbi gratia, lapsum est corpus uel membrū à moderata temperie ad septem gradus immoderatæ caliditatis. Reducetur ergo per contrarium frigidum, non subitò, sed sensim, & contrario ordine quàm processerat. Primùm enim ad sex gradus, deinde ad quinque, &c. reducetur. Quare ut quid sit in corpore ægro agendum, siue ut modum curationis (quo uocabulo in seq. cap. utitur) sciamus, primò considerandum est, quænam sit immoderatio: deinde, quódnam sit huius immoderationis contrariū adhibendum (contraria enim cōtrarijs remedio sunt, & particularibus particularia sunt contraria, teste Hip.) tertiò quatenus sit adhibendum, nimirum donec ad naturalem statum reuertatur. Iam igitur generalißimum curandi scopum habemus, quòd contraria contrarijs sint curanda. Quæ autem quibus sint contraria, ex subiectæ partis natura desumere oportet. Nam uel ægrotat pars



CAPVT XVI. DE GENERALI COGNITIONE EFFICIENTIS salubris, An in corpore ægro aliquid poſsit operari.

Generalis cognitio corporis ægri duos habebat ſcopos: alterum, τὸ, τί δεῖ πράττειν, ut modū operandi ſciremus, ſeu quid agere oporteret, nempe, quòd contrarium contrario profligandum eſſet: alterum, τὸ διὰ τί πράττειν, ut efficientem ipſum cognoſceremus, poßétne ab efficiente natura & medico ſatisfieri primo ſcopo. Primum quidem ſcopum ſuperiori cap. declarauit: de ſecūdo in hoc cap. aget. Efficiens aliud eſt princeps, ipſa ſcilicet Natura: aliud miniſtrans, Medicus, qui naturæ uelut principi parere debet, & eius rectè operantis nutum atque ductum ſequi. Et quidem ſi artis præcepta ſpectes, primas obtinet Medicus: ſin actionem ipſam, ut hoc in loco, Natura. Duæ ergo iſtæ efficientes cauſæ interdum primo ſcopo ſatisfacere poſſunt, interdum nequeunt. Quod autem nunc generali ratione Gal. docet, illud idem particulariter deinde in ſingulis inquirendū eſſe monet. Obiter tamen hoc in loco notandū eſt, Galenum artificioſè tractationem cauſæ efficientis ipſius medicinæ hunc in locum tranſtuliſſe, quoniam efficiens non tam ad conſtitutionem principiorum artis facit (de qua in hoc libro agit) quàm ad actionem medicam, quæ in effectibus, hoc eſt, corporibus ſalubribus & inſalubribus, quæ ex principijs iampridem declaratis cōponuntur, occupari conſueuit. Itaq; nunc tandem efficientem declarat, ut actio medica circa corpus magis nobis innoteſcat. Porrò cùm efficientes ſint duplices, & finem ſiue intentionem ſuam non ſemper aſſequantur, uidendum eſt, pro ſecundi ſcopi declaratione, quibus rebus impediri poßint. Potentia ergo iſta & impotentia ſatisfaciendi primo ſcopo pendet partim ex

- **Materia** ſubiecta, hoc eſt, à partium primarum & ſimilarium natura, ex quibus corpus humanum componitur. De qua abundè in libris De animantis generatione, ἀκριβεστάτως egit Gal. Hîc ſatis eſt obiter meminiſſe, exemplo iam ſæpe uſitato architecti (ut in fine cap. monet) quòd ſicut ille domum reficere non poteſt lateritiam, niſi lateres habeat nouos, qui in uitiatorum locum reponantur: ita quoque natura, eiusq; miniſter medicus, in reparanda ſtructura ſimplicium partium, & per conſequens etiam organicarum, quia ex ſimplicibus ſiue ſimilaribus componuntur, optimè priùs perſpectū habere debet, poßitne per oportuna remedia id, quod ualetudini deceßit, reſarciri. Itaq; ſi uitietur partium ſimilarium
  - **Temperies** (hoc eſt, debilitetur tantùm, non omnino aboleatur, per alterationem ſolam, abſque corruptione membri) corrigi poterit, per contrariorum remediorum adminiſtrationem, quibus reſocilletur natura. Gal. breuitatis & facilitatis cauſa omiſit.
  - **Vnitas** ſeu continuitas in partibus
    - **Spermaticis**, non poteſt colligari ſuo ſimili, ſed alieno tantùm corpore medio. Cauſa eſt materiæ defectus, & formatricis uirtutis abſentia. Exempla Gal. affert de oſſe, neruo, uena.
    - **Sanguineis**. Quæ quidem, ſi ſpectes
      - **Materiam**, omnes poſſunt ex materia ſimili, hoc eſt, ex ſanguine refici, & conſolidari.
      - **Dignitatē** actionum, differunt. Aliæ enim ſunt
        - **Principes**, ut cor, & hepar. Hæ ſi uulnerentur, animal prius morietur, quàm morbus tolli poßit.
        - **Non principes**, ut muſculi. Facilis in his eſt reſtitutio.
- **Forma** morbi. Cùm enim morborum ſit magna diuerſitas, non omnes à natura poſſunt ſuperari, ſed quidam à ſolo medico. Hac ergo ratione diuidi poſſunt, quòd alij curantur à
  - **Natura**, illi ſcilicet, in quibus natura per facultatem uitalem & naturalem aliquid obtinere poteſt: ut in lib. De facult. natur. ἀκριβεστάτως docuit. Curat autem natura hos morbos uel
    - **Per ſe**, ſola, abſque medici auxilio Sic carne replet ulcus cauum, cruda concoquit.
    - **Medici** opera & auxilio, qui (uerbi gratia) in cicatrice inducēda epulotica adhibet: in conſolidando ulcere detergit pus: in ſuppurationibus concoquētia ſubminiſtrat.
  - **Medico** tantùm, cùm nulla tanta ſit uis naturæ ſiue animæ, quæ morbum ſuo contrario poſſit abigere. Sic medicus oſſa luxata reponit: os fractum committit: diſtortum, ad naturalem ſitum reducit. Sic ergo medicum non tantùm Phyſicū eſſe oportet, ut hodie loquuntur, ſed etiam chirurgum: non quidem ut manu operetur, ſed ut tanquam imperator alios monere poßit. Talis fuit princeps artis Hippocrates, Archigenes, &c.

CAPVT XVII. DE GENERALI COGNITIONE INSTRVMENTORVM Efficientis.

Ad efficientis cognitionem pertinet consideratio Instrumentorum: quæ alio nomine Remedia, Causæ salubres, Sex res non naturales, Materia denique medica ex qua (non autem in qua) appellantur. De quibus uide ea quæ cap. 32. Artis medicæ dicta sunt, ubi de causis agit. Efficiens corporeum necessariò agit per instrumenta media, ueluti per efficiētes coadiuuantes. Instrumentorum ergo natura & differentia cognoscenda erit. Conueniunt quidem in eo, quòd contraria sunt morbo, cuius gratia corpori adhibentur, atque idcirco causæ salubres dicuntur, quoniam salubritatem collapsam restituunt & emendant. Differunt uerò primùm à causis insalubribus, non subiecto, sed quātitate tantùm & qualitate siue modo adhibendi: deinde etiam ipsa inter se inuicem differunt, quia non sunt unius generis. Quod quidem diligentiùs expendendum est. Differentiæ igitur instrumentorum, per quæ medicus naturæ minister sanitatē restituere conatur, sumuntur partim ab

- **Effectu** *quem corpori ægro imprimunt. Sic suprà cap. decimo quinto, illas enumerauit Gal. non ut differētias instrumentorū inueniret, sed tantùm ut scopos curatiuos eliceret. Efficiunt autem, hoc est, corrigūt id quod uitiatum est, siue sit*
  - **Temperies** *immutata. Huc omnia ea instrumenta referantur, quæ quacunque qualitate prima tam simplici quàm composita, corpus uel totum uel partem alterare possunt. Horum autem usus non in omnibus partibus idem est. Non enim semper aqua frigida refrigerat, sed per accidens interdum calefacit. Hoc ipsum diligēter debet perpendere medicus & præuidere. De qua quidem re abunde se in lib. tum simpliciū tum compositorum medicamentorum egisse, hoc in loco testatur.*
  - **Compositio** *uitiata in*
    - **Magnitudine.** *Instrumenta talia, quæ uel Auferre nimiam quantitatem, uel deficientem Reficere possint.*
    - **Numero.** *Causæ uel Auferentes, uel Generantes.*
    - **Conformatione,** *secundùm*
      - **Figuram:** *Naturalem figuram inducere oportet.*
      - **Cauitatem:** *Vacuantibus, Replentibus.*
      - **Meatum:** *Obstructiones aperiendæ, Dilatata contrahenda.*
      - **Superficiem:** *Densatum rarefaciendū est, Rarefactum densandum siue constringendum.*
    - **Situ.** *Ad contrarium situm pars reducatur. Exemplo rem illustrat. Articulus ex sede sua dimotus est, utputa ad superiora. Modus ergo reponendi erit contrarius. Excidit è sede sua primùm, deinde ad superiora. Ordine contrario reponatur: primùm ad inferiora ducatur, deinde in suam sedem restituatur. Ex his intentionibus instrumenti qualitas desumitur. Nam ad inferiora ducetur tum ualidis apprehensionibus, tum distensionibus. Quod cùm manibus nostris interdum cōsequi nequeamus, oportuna instrumenta pro luxatis membris sunt excogitata.*
  - **Vnitas** *soluta, Conglutinantia remedia.*
- **Modo** *administrandi. Instrumēta igitur Medici, quibus morbus profligatur, & sanitas restituitur, Gal. quatuor fontibus comprehendit, quòd uel offerantur, uel euacuent, uel efficiant, uel extrinsecus incidāt. His enim tota rerum non naturalium, ut medici uocant, turba comprehenditur. Nos ad artem hæc ipsa reuocantes, diuidimus ea ratione, quòd corpori adhibita à calore naturali uel*
  - **Patiūtur,** *priusquam in corpus agāt, siue interiùs siue exteriùs adhibeantur. Conferunt ergo, uel quia corporis*
    - **Substantiam** *siue materiam*
      - **Augent** *& conseruant nutriendo. Cibus uidelicet atque potus. Gal. uocat* OBLATA, *quoniam corpori offeruntur ueluti corpora similia, quibus alatur.*
      - **Imminuūnt** *& detrahunt.* EVACVANTIA *Gal. appellat, per quascunque uias.*
    - **Qualitatem** *seu temperiem, quæ ad formam pertinet, immutant. Gal.* EFFICIENTIA *nominat, κατ' ἐξοχὴν, quoniam alteratione sua corpus alterum efficiunt. Sunt autem uel*
      - **Corpora** *tum*
        - **Simplicia,** *Ignis, Aër, Aqua, Terra.*
        - **Composita,** *ut metalla, plantæ, &c.*
      - **Passiones** *tum*
        - **Animi.** *Affectus.*
        - **Corporis,** *in*
          - **Sensu,** *Somnus et Vigilia.*
          - **Motu,** *Exercitatio & Quies.*
  - **Non patiūtur,** *sed in corpus tantùm agunt. Qualia sunt instrumenta chirurgica, sectio uenæ, hirudines, suturæ, &c. Quæ cùm exteriùs tantùm adhibeantur, à Gal. hic uocātur* EXTRINSECVS INCIDENTIA.

CAPVT XVIII. DE PARTICVLARI COGNITIONE IPSIVS curationis in corpore ægro. Et primùm de SIGNIS diagnosticis corporis ægri.

Post generalem tractationē curationis, succedit particularis et magis distincta. In qua quidem tum Actionem ipsam examinat (& ratione materiæ subiectæ seu corporis affecti per signa diagnostica, in hoc cap. & ratione efficientis, in cap. seq.) tum etiam Actionis successum, per signa prognostica, cap. uigesimo. Caput itaque præsens diagnostica signa materiæ medico subiectæ cōtinet, corporis uidelicet humani ægri: quod quidem caput propter rerum quæ tractantur cohærentiam commodè diuidi non potuit, eaq; de causa in maiorem molem excreuit. Ad actiouem ergo hāc, quæ Curatio dicitur, requiruntur duo, tum remediorum. De remedijs postea. Nūc de subiecto corpore ægro agamus, ut sciamus tum

- **Quæ sint cognoscenda.** Partes sunt uariæ, et uarijs afficiūtur ægritudinib. Quare cognoscendus est
  - **Locus affectus** ueluti subiectum. Oportet inprimis omnes partes corporis tum simplices tum organicas ex anatome didicisse. Deinde uerò, quia corpus ægrum præ manibus habemus, quod subiecto idem est cum salubri, differt tantùm forma seu qualitate insalubri, per signa diagnostica cōiectandum est quæ nam sit pars affecta. In qua quidem rationem habere debemus tum
    - **Substantiæ** & naturæ membri. Vt in pleuritide pulsus durus indicat membranosum corpus affici. Sic quoq; patiente utero, in cōsensum trahuntur mammæ: affecto uentriculi ore neruoso, neruosæ reliquæ partes compatiuntur. Est enim mirificus in partibus similibus consensus. Quòd si ergo medicus partes multas eiusdem generis affici conspexerit, quæ in una eademq; substantia conueniant, habebit iam loci affecti substantiam. Quæ non minima est pars huius nostræ cognitionis.
    - **Eorum** quæ substantiam consequuntur. Sic, ut in eodem exēplo persistamus, loci affecti
      - **Situm** indicabit dolor affectæ pleuræ uel ascendens uel descendens. Quem quidem hoc in loco Gal. uocat Positum, Compositionem, aut cum uicinis partibus Societatem.
      - **Actiones** indicabit læsa respiratio. Ex quibus omnibus partem ægram deprehendemus artificiosa coniectura.
  - **Morbus**, ueluti forma siue qualitas huic subiecto impressa Qui quidem ut rectè cognoscatur (præsertim si in corporis profundo lateat) oportet scire illius tum
    - **Substantiam**, materiam scilicet atq; formam, quibus ceu causis continentibus omnis morbus absoluitur. Substantiæ autem cognitio alia
      - **Vniuersalis** est, & dicitur morbi Essentia.
      - **Particularis**, & uocatur morbi Differentia. Verbi gratia, pleuritis biliosa.
    - **Accidentia:** nimirum
      - **Materialia**, ipsam Magnitudinem. Multum enim scire refert, magnus an paruus sit morbus, ut & remedia commodiùs adhibere, & in prognosticis minus errare posis.
      - **Formalia**, quæ sequuntur formam ipsam, insalubritatem uidelicet. In qua duo considerantur, tum
        - **Qualitas** siue Mores morbi, quæ illius essentiã consequitur: ut quòd sit uel
          - Εὐήθης, hoc est, benignus, & qui remedijs cum ratione adhibitis manus præbeat.
          - Κακοήθης, qui uel pharmaca omnino negligit, uel illis magis exacerbatur, uel paulò pòst uehementior redit.
        - **Tempus** morbi, quod generationem morbi, quatenus in continuo fluxu atque motu est, consequitur. Sumitur autem à materiæ quæ morbum facit concoctione uel cruditate.
- **Quomodo** sint cognoscenda. Vide in seq. signum #

Quomodo *sint cognoscẽda, & per quæ media, tam locus affectus, quàm ipsa affectio siue morbus indicat. Omnis certè cognitio progreditur magis noto (siue sensu, siue intellectu) ad minus notum, quod tamen in eodem genere comprehẽdatur. Quare cùm nos hîc quoque partem affectam & morbum quo afficitur cognoscere cupiamus, necessarium est, ut pernotius id fiat, quod tamen in eodem genere conueniat cum morbo, & inter res præter naturam connumeretur. Hoc supposito, inuestigandus erit deinceps rerum præternaturalium in corpore humano tum*

Numerus. *Id quod præter naturam est in corpore, tot habet differentias, quot & id quod secundùm naturam corpori inest. Inest autem & inhæret corpori accidens solum. Quod tamen accidens rursus uel*

Forma *est, siue rationẽ habet formæ medicæ, propter quam corporis humani considerationem medicus instituit. Sic inter res præter naturam connumeratur insalubritas, siue, ut strictiꝰ loquar, ipse Morbus. Qui quidẽ sensu oculorum comprehendi uel*

Potest, *uerbi gratia, uulnus in parte aliqua carnosa externa. Cùm sensus iudicium subeat, signis artificiosis, quæ rationis ductum solùm sequantur, opus non habet.*

Nequit, *uerbi gratia, obstructio hepatis, scirrhus lienis, &c. Opus hîc est rationis adminiculo, ut per signa diagnostica, uelut accidentia sensibilia, morbum deprehẽdamus internum, qui sensus nostros effugit, siue mediatè, siue immediatè indicent. Et hæc* Διάγνωσις *medici propria est: superior illa quibusuis alijs hominibus, atque etiam brutis perspecta & cognita esse potest.*

Formam *comitatur, siue illam*

Præcedat *& generet, aut certè generare poßit. Sic Causæ tum primitiuæ, tum antecedentes, quæ uel actu causæ sunt, uel certè naturali sua potentia causæ morborum aliquando fieri possunt, inter res præter naturam referũtur, non primò & per se, sed per accidens tantùm, quia morbo occasiones existunt.*

Sequatur, *& indicet morbum latentem: Quatenus accidit, dicitur in corpore ægro Symptoma: quatenus morbum indicat, uocatur Signum. Et hæc tertia est species rerum præter naturam.*

Ordo, *id est, habitudo erga se inuicem. In genere conueniunt, quoniam omnes sunt res præter naturam: differunt natura particulari, ortu & interitu, tempore præterea, cùm alia prior sit, alia posterior. Sic ergo, ut in primo capite Artis med. annotauimus, Res præter naturã considerantur uel*

Κατὰ τὸν πρῶτον λόγον, *quatenus Medicina est scientia. Sic ergò à causis ad effectus, nimirum ad corpora, & ea quæ corporibus accidunt symptomata atque signa, progreditur. Et hunc eundem ordinem generatio huius formæ, quæ insalubritas est, obseruat. Nam ex causis primitiuis & antecedentibus fiunt causæ coniunctæ, quæ morbum constituunt: ipsum deinde morbum sequuntur symptomata sua, utpote posteriora morbo, uel tempore, uel certè sola natura. Sunt enim quædam accidẽtia, quæ cum ipso morbo statim ingruunt, quapropter etiam ferè* παθογνωμονικὰ *dicuntur: quædam uerò paulò pòst adueniunt, &* συνεδρεύοντα *nominantur, siue necessariò, siue non necessariò accidant.*

Κατὰ τὸν δεύτερον λόγον, *quatenus Medicina est actiua, siue (ut rectiùs loquar) factiua ars. Sic ergo primùm illi occurrit corpus, uerbi gratia, insalubre: nam testimonio sensus, ex actionum læsione atque decubitu, animal ægrotare colligit, quamuis morbi genus & partem affectam nondum cognoscat. Cognoscet autem ex accidentibus siue symptomatibus, quæ secundo loco obseruantur. Ex quibus deinde tertio loco causæ deducuntur. Quamuis non rarò accidit, ut etiam ex causis, procatarcticis præcipuè, morbum colligamus, utputa cruditatem. Verumenimuerò mutatus iste ordo non tam ad morbi cognitionem facit (morbus enim aut morbus non est, aut si est, ex suis signis cognoscetur) quàm ad morbi curationem. Nam quia morbus curari nequit, præsente causa, idcirco causæ diligenter sunt inuestigandæ, & si quæ præsentes fuerint, erunt remouendæ: ut in Arte med. cap. 37. docuimus. Posterioris itaq; huius cognitionis iste erit ordo: Corpus morbo affectum sensus deprehendit: ex symptomatibus siue signis, morbi genus atque differentiam ratio colligit: causæ tandem diligenter perpenduntur, quandoquidem si præsentes sint, morbum subinde fouent, & proinde ablationem sui indicant: sin fuerint absentes, & iam sublatæ, potest tamen medicus ex illarum magnitudine morbi quoq; quantitatem probabiliter colligere. Ex his omnibus patet, morbum quidem esse fundamentum reliquarum duarum rerum præter naturam (causæ enim, morbi causæ dicuntur, & signa sunt morbi signa siue symptomata:) uerùm per se non posse cognosci, præsertim ubi interiores partes corporis occupauit, sed per symptomata tantùm. Vbi tamen & illud notandum est, morbum per consensum, respectu morbi à quo dependet, symptoma interdum & esse & nominari. Vide in sequentibus signum* ⁂

✻ Res ergo præter naturam sunt in triplici differentia: ex solo tamen tertio genere, uidelicet ex symptomatibus, modum habebimus cognoscendi locum affectum & affectionem ipsam in corpore ægro. Accidentia autem ista non amplius symptomata, sed signa diagnostica ægra uocabuntur. Quæ quidem hoc in loco à Gal. considerantur tum

- **Generaliter.** Signum est accidēs, quod internam affectionem seu dispositionem arguit, nempe (de qua hoc in loco) insalubritatē. Quare etiā necessariò refertur uel in affectam partem, hoc est, in subiectum corpus, uel in ipsam affectionē siue morbum: quod in pleuritide infrà declarabitur. Signa porrò cùm non sint unius generis, diuiduntur à Galeno, prout considerantur uel
  - **Per se.** Sic ad tria summa capita reuocantur, sensus testimonio, quem medicus sequitur. Nam uel sunt Excrementa mutata, uel Qualitates immutatæ, uel Actiones læsæ. Iam uerò si cōmunitatem & differentiam horum trium obseruemus (quod in 3. cap. Artis med. fecimus) omnia signa siue symptomata accidere deprehendemus corpori uel ratione
    - **Formæ,** Animæ scilicet, cuius instrumentum est temperatura. Huc ergo spectant operationes triplicis animæ: nempe
      - **Animalis.**
      - **Vitalis.**
        - Quas κατ' ἐξοχὴν Actiones uocat, quia per se & immediatè à sensu quocunq; cognoscuntur.
      - **Naturalis.** Quæ non per se, sed per excrementa tantùm se prodit. Quare non connumeratur inter actiones, sed separatum genus constituitur à Galeno, EXCREMENTA scilicet: ex quibus morbi materia per cōcoctionem & cruditatem potißimùm cognoscitur: sicut ex prioribus duabus naturæ siue uirtutis robur.
    - **Materiæ,** in qua inesse conspiciuntur, siue in toto, siue in parte. Sic tertium genus symptomatum erunt QVALITATES immutatæ uisiles, tactiles, gustatiles, &c.
  - **Respectu morbi,** quē comitātur & indicat. Vt ergo in morbo tria erant inuestigāda (natura uidelicet morbi, hoc est, tum essentia generalis, tum particularis differētia: deinde magnitudo, tertiò qualitas siue mores morbi) ita hîc quoque tria erunt indicata seu signata, & tria indicantia seu signa. Diuiduntur itaq; signa hac occasione: quoniam alia sunt
    - **Necessaria,** quæ semper, & immediatè, & ex necessitate morbum cōsequuntur & indicant: quibus positis, etiam morbum adesse necessariò inferre potes. Hæc ergo symptomata essentiam morbi generalem indicant. Quapropter παθογνωμονικὰ dicuntur: alias [illegible].
    - **Non necessaria.** Quæ simpliciter σημεῖα dici possunt, καὶ συνεδρεύοντα σημεῖα, quoniā non indicant necessariò, sed comitantur tantùm & assidēt, siue unà cū morbo ingruant, siue paulò pòst. Atque ut non necessaria sunt, ita quoque uariè
      - **Accidunt** corpori ægro. Quia uel
        - **Multùm,** siue ut plurimum.
        - **Raró.**
        - **Æqualiter:** ex æquo accidūt & non accidunt.
      - **Indicant:** nempe uel
        - **Essentiam** particularem, siue Differentiam morbi, qua differt ab alijs morbis eiusdē generis. Sic Dolor acutißimus in pleuritide indicat morbi materiam esse biliosam.
        - **Accidētia morbi:** utputa
          - **Magnitudinem.** In pleuritide, nihil expuere.
          - **Mores,** seu malitiā.
- **Particulariter.** Vide in seq. signum ⊞

⊞ **Particulariter**, quoniam per exempla declaratúr. Ex signis ergo habetur cognitio affectæ partis simul & morbi uel

- **Certa.** Certa est cognitio, quando locũ affectum & affectionẽ ipsam exquisitè cognoscimus. Quod quidem per signa artificiosè colligemus: & uel ex
  - **Signo uno.** Sic, uerbi gratia, ex solis excrementis morbum deprehendimus. Nam considerantes substantiam excrementi, si membraneum quid reiectum esse uideamus, inferemus, partem quampiam exulcerari, quæ in superficie membranosa sit. Iam uerò si quoque locum, per quem excernitur, inspiciamus, utputa per aluum, intestina exulcerata esse conijciemus.
  - **Signis** multis simul corrogatis. Vide in sequen. signum ✲
- **Incerta:** utputa, affectam partem deprehendimus, ignoramus tamen (quod ad curationem maximi est momẽti) an per se, an per cõsensum ab alio membro ægro patiatur. Hoc enim imprimis est cõsiderandũ, utrũ pars afficiatur per
  - Πρωτοπάθειαν, quoniam scilicet pars ea primò affecta fuit, nulla ante illam alia.
  - Δευτεροπάθειαν, quoniã alijs partibus affectis primò, ipsa quoq; tãdem cœpit laborare. Et sic rursus uel per
    - Ἰδιοπάθειαν, quoniam etsi aliæ quoque partes ægrotant, à quarum affectione partis huius morbus foueri potest, tamen etiam per se pars causas continentes sui morbi habet, quamuis ab alijs partibus non foueretur.
    - Συμπάθειαν: patitur tantùm per consensum ab affectu alterius partis primò & per se affectæ, ita ut si pars illa curaretur, tolleretur omnino huius quoque partis affectio. In hoc casu cùm curatio nequeat institui, nisi pars affecta primò curetur, à qua ueluti à causa fouetur pars quæ per consensum affecta est: idcirco diligenter perpendendũ est, quæ pars primò sit affecta, quæ per cõsensum. Colliges autem hoc partim ex
      - **Causarum** lædentium usu et præsentia: ut quòd pars uel semper, uel non semper, sed præcedentibus certis quibusdam causis tam externis quàm internis, exacerbationem pati soleat.
      - **Symptomatum**
        - **Ortu.** Prioris enim morbi priora quoque sunt symptomata.
        - **Magnitudine.** Vt q. morbi prioris seu fouẽtis symptomatibus auctis, etiã posterioris siue dependentis morbi symptomata crescunt.

✥ **Signis** multis simul corrogatis. Exemplum dat Gal. in pleuritide. Pleuritis affectus est frequēs, & sensui tam medici quàm ægri egregiè expositus: quapropter à Gal. ubiq; ferè, quando de signis agit, exempli causa adducitur. Docet itaq; hoc etiam in loco, quomodo locum affectum, & ipsam affectionem, ex multis signis debeamus cognoscere. Nam q͞d unū solum signū certò indicare nequit, illud multa simul coaceruata necessariò possunt & inferūt. Ostēdit ergo Gal. quomodo ex signis iisdem diagnosticis, quæ in pleuritide conspiciuntur (præter signa prognostica, & remediorum usum, de quibus postea cap. 19. & 20. hæc enim omnia ex his iisdem fontibus deduci, hoc in loco obiter testatur) deprehendamus tum morbi ipsius

- **Essentiam**, tum
  - **Generalem**, quòd uidelicet sit pleuritis. Signa ergo cōnumerat sex numero: quæ sumuntur tum ab
    - **Actione** tripli ci: nimirum ab
      - **Animali**, non interna (neque enim perpetuò adest Delirium) sed externa, tum
        - **Sentiendi**. DOLOR lateris pungens, propter inflammationem membranosi corporis. Et quia pleura totum thoracem usque ad iugulum & ipsa hypochondria uestit, mirum non est, dolorem modò ad iugulū ascēdere, modò ad hypochondria descendere, modò in medio cōsistere, pro uario decubitu materiæ influentis. Sic ergo ex specie doloris non tantum colligimus, quòd pleura sit affecta, sed etiam in qua parte.
        - **Mouendi**. DOLOR EX DECVBITV, indicat affici pleuram uel
          - **Interiorem**, quæ ferè semper laborat. Decubit⁹ est in affectū latus facilior: quia non suspenditur inflammatio, nec comprimitur à costis thoracis.
          - **Exteriorem**. Decubitus in latere opposito facilior, quia sic non comprimitur inflammatio ab ossibus.
          - **Vtranque**. Decubitus ex æquo difficilis.
      - **Vitali**. Mutatur enim
        - RESPIRATIO, non tam quòd pleura respirationi inseruiat, quàm quòd affectio ipsa siue inflammatio non sinit organa respirationi inseruientia conuenienter dilatari, propter uehementem dolorem.
        - PVLSVS. Nam ex accidenti febre redditur celerior, frequentior & maior: ex natura uerò partis affectæ membranosæ, efficitur durior, & tensionem habet.
      - **Naturali**, concoctrice & expultrice, quæ per sua excrementa innotescit, illa autē per tussim reijciuntur. TVSSIS ergo semper adest, quia semper aliquid purulēti ex inflammata particula expirat, quod sui acrimonia expultricem facultatem thoracis & pulmonis stimulat. Verùm tussis alia est
        - **Sicca**, uel propter partis densitatem: uel propter materiæ tenacitatem, crassitiem, tenuitatem, aut paucitatem: uel etiā (quod nos anatome docet) si pleura pulmonibus parum admodum sit connata.
        - **Humida**, propter partis raritatem, materiæ moderatam crassitiē, atq; etiā pleuræ cum pulmonibus connexū. Materia autē quæ per tussim reijcitur, quāuis in pus cōuersa albescat, tamē declinat semp ad eū colorē, q proprius est humori faciēti inflāmationē: quādoquidem ille idē color sputū quoq;, quod screatu reijcitur solo, tingere conspicitur.
    - **Passione**. À qualitate uidelicet, non ipsius partis (nam tumor & rubor, qui necessariò in omni inflammatione adsunt, non possunt sensu percipi) sed totius, nēpe à FEBRE, quæ prouenit tum ab ipso affectu, nimirū ab inflammatione calida (nam si œdema esset, uel scirrhus, non pareret febrem) tum à parte affecta, quæ cordi uicina est. Quemadmodū ecōtrà digitus inflāmatus nō excitat febrem, quia à corde longissimè distat: præter id quòd pars est minus nobilis & princeps.
  - **Particularem**, seu differentiam morbi, à qua scilicet materia siue humore pleuritis fiat. Indicabit hoc MATERIA, quæ per tussim atq; sputum cum screatu reijcitur. Nam sputum subinde tingitur à putridis uaporibus sursum ex parte inflammata ascendentibus, & per expirationē elatis. Tussi autem reijcitur pus, à principio quidem crudū & humoris sui naturā colore proprio exprimēs, postea uerò per concoctionē albescit. Color itaq; sputi uel materiæ per tussim reiectæ Ruber, à sanguine inflammationem fieri indicat: Flauus, à bile: Albus cum spumosa substantia, à pituita: Niger, à melancholia uel sanguine adusto.
- **Accidentia**. Vide in seq. signum ▽

▽ **Accidentia**, *tum*

- **Materialia**, *ipsam uidelicet Quantitatem siue Magnitudinem morbi. Ex ijsdem fontibus signorũ deducetur. Morbus enim magnus esse dicitur tum ratione*
  - **Subiecti**, *seu partis affectæ, quæ uel princeps est, uel certè principi parti proxima aut connexa.*
  - **Formæ** *seu affectionis ipsius, siue consideretur*
    - **Per se**. *Sic quidam morbi acuti, quidam chronici esse dicuntur, propter causarum continentium uarietatem.*
    - **Per aliud**, *nempe ex symptomatibus uehementibus, quæ interdum talia sunt, ut exitium minentur, & proinde curam medici ad se trahant.*
- **Formalia**: *uidelicet quæ sequuntur uel morbi*
  - **Essentiam**. *Sic ergo Qualitas siue Mores morbi (ut quòd malignus sit, uel mitis) desumitur ab ijsdem locis. Nam uel à morbi*
    - **Essentia** *particulari, siue à Differentia, quæ sumitur à materia. Succus mitißimus est sanguis, perniciosißimus atra bilis. Quare etiam omnes morbi atrabiliarij sunt κακοήθεις.*
    - **Symptomatibus**. *Nihil expuere, perniciosum. Accedunt huc pulsus immutationes, deliria, somni immoderati, lotia, deiectiones alui non debitæ, & præter naturam factæ. Aut etiamsi bene se habeant externa, morbus tamen interea non remittit.*
  - **Generationem**. *Vt enim omnes res quæ natura constant, habent motus sui principium, medium atq; finem, quorum mensura tempus esse dicitur: ita quoq; morbus quamuis sit res præter naturã, tempora sua habet Vniuersalia (ut uocant) principium, augmentũ, statum, & declinationem. Quæ quidem ex ipsa morbi essentia, siue materia, cognosci debent, pro uarijs concoctionis aut cruditatis differentijs, atq; etiam ipsorum symptomatum intensione uel remißione. Ipsum tamen tempus per se morbi formam consequi uidetur: quandoquidem est numerus motus, qui fluentem respicit formam tantùm, non autem materiam, nisi per accidens, nimirum quia forma hæc, quæ fluit in motu, materia prædita est. Temporum ergo morbi differentiæ sumuntur à qualitate materiæ: essentia uerò generalis earundem à forma morbi dependet.*

CAPVT XIX. DE PARTICVLARI CVRATIONIS COGNITIONE, QVANtum ad REMEDIORVM VSVM pertinet, quomodo scilicet & quantum sint adhibenda corpori ægro.

REMEDIORVM *naturam in uniuersum suprà cap. 17. declarauit, quòdq; à generali indicatione, quæ à morbi essentia sumitur, dependeret, cap. 15. ostendit. Superest ut remediorũ usum (sic enim uocat) explicet, qui consistit tum in reliquis indicationibus (quantum, quomodo, quando & ubi sit agendũ) tum in limitationibus siue comdicationibus. De quibus omnibus abundè egimus cap. 37. Artis med. ut hìc repetere non sit opus, nisi quantum ad explicationem Galeni pertinebit. Vbi quidem illud est notandum, ex forma morbi colligi, qualitatem remediorum, siue quibus remedijs utendum sit: at usus oportunitatem, ex materia subiecta, hoc est, ex partis affectæ natura desumi. Sic enim in præced. quoq; cap. docuit, ex fontibus signorũ diagnosticorum depromi etiam posse signa prognostica, & insuper oportunũ remediorum usum. Sub usu ergo comprehendũtur ea quæ dicta sunt. Proinde à Gal. hoc in loco confusè proponuntur: nanq; indicationũ naturam & differentias hìc declarare noluit, sed fontes tãtùm materiales, ex quibus desumerentur, indicare. Vt ergo morbi genus seu forma triplex erat, intemperies, compositio uitiata, & unitas soluta: ita quoq; triplex erit fons oportuni usus remediorum. Tria enim sunt, quæ in parte affecta considerantur, non tantùm quatenus præter naturam se habet, sed multò magis quatenus secundùm naturam se habet: quinimo ut in morbi cognitione præter naturalis dispositionis potißima habetur ratio, ita in remediorum oportunitate cognoscenda naturalis dispositio tum præsens, tum præcedens, diligenter perpendenda est. Vt ergo remedijs commodè utamur, consideranda sunt ea, quæ parti affectæ conueniunt siue accidunt tum*

- **Formaliter**. *Vt est ipsius partis naturalis Temperies, quam hìc Gal. uocat Substantiã partis, κατ' ἐξοχὴν. Forma enim est, quæ dat esse & nomen. Partiũ autem similarium temperaturas suprà cap. 12. exposuimus. Quibus suppositis, si aliqua pars similaris afficiatur, hoc est, per cõtrariam qualitatem alteretur, duo erũt agenda (ex quibus remediorum usus cognoscitur) nempe temperies*
  - **Aduentitia**, *siue intẽperies præter naturam amolienda erit suo cõtrario. Quòd si ergo, uerbi gratia, morbus calidus occupet partem ex sua naturali temperie*
    - **Frigidam**, *remedia refrigerantia mitiora esse oportebit, ne quando cõtrariam temperiem remouere studes, nimia refrigeratione innatum calorem alioqui debilem planè extinguas.*
    - **Calidam**, *remedia refrigerantia uehementiora esse debent.*
  - **Naturalis**, *erit conseruanda suo simili. Si itaq; pars calida calido morbo corripiatur, affectionem quidem ipsam contrarijs refrigerantibus expugnare oportebit: postea uerò, iam curato morbo, non amplius refrigerantibus locus erit, sed calefacientibus in gradu simili, à quibus temperies partis natiua conseruetur. Similiter si pars princeps, utpote hepar, afficiatur, quocunq; morbi genere, illud unicè studendum, ne uehementi emollitione robur uisceris exoluas, aut nimia refrigeratione calorem illius extinguas.*
- **Materialiter**. *Vide in seq. signum* *

- *** Materialiter.** *Sic ergo considerari debet partis affectæ naturalis*
  - **Compositio,** *quæ partiũ dißimilarium propria est. Compositio autem ut in multis spectatur, ita ferè singula ad oportunũ remediorũ usum aliquid conferunt. Quod quidem Galenus per exempla demõstrat. Ad compositionem igitur pertinet*
    - **Numerus.**
    - **Magnitudo.**
      - *Horum Gal. non meminit, uel breuitatis causa, uel quia parum ad remediorum usum conferunt, aut si quid conferunt, illud ex reliquis quoque potest cognosci.*
    - **Conformatio.** *Quæ posita est tum in*
      - **Figura.** *In qua duplex est modus, quemadmodũ etiam in temperiei cõsideratione (hoc enim est quod Gal. inquit, morbos in figura ex proportione respondere morbis in intemperie) nempe ut id quod est*
        - **Præter naturam,** *curetur, tanto ualidioribus remedijs, quanto maior lapsus à naturali figura factus fuerit.*
        - **Naturale,** *conseruetur. Ostendit ergo metas curationis, quantum scilicet progredi debeat, non ulterius, alioqui ex uno morbo ad alium morbum laberetur.*
      - **Superficie.** *Omittitur à Galeno.*
      - **Cauitate & Meatu.** *Indicãt usum remediorum commodum, præsertim in euacuatione molienda per uias oportunas: ut in Situ dicetur.*
    - **Situs.** *Quomodo remediorum usum situs limitet, ostendit Gal. exemplis morbi in*
      - **Compositione, secundùm**
        - **Meatum.** *Obstructio toto generi uenoso accidere potest, maximè uerò exortui uenarum in hepate. Illic enim minimæ propagines uenæ cauæ & uenæ portarum cæcis osculis inuicem committuntur, aut certè se mutuò superequitant, ut chylus attractus exudare in hepatis substantiam poßit, & ex hepate uicißim sanguis in uenas resudare. Itaque tum propter uiarum angustiam, tum propter chyli copiam & corpulentiam crebris uexatur obstructionibus hepar. Quid sit agendum, indicat morbi forma, esse scilicet aperiendas obstructiones, attenuantibus quidem, incidentibus & detergentibus, si adhuc leues sint: si uerò ualidæ fuerint, requiritur Euacuatio. Quomodo autem attenuantia sint administranda, indicat situs partis affectæ, nempe per cibos, per potiones, per emplastra, fomẽta, &c. Quomodo euacuatio sit molienda, ille idem situs ostendet: utpote sanguinis misſione ex basilica dextra, uel pharmaco, quando caua iecoris obstruuntur: uel diureticis, quando gibba pars afficitur.*
        - **Cauitatem.** *Multitudo quorumlibet excrementorũ si collecta sit in*
          - **Cerebro,** *per nares uel palatum educenda erit.*
          - **Pulmone** *uel thorace, per tußim.*
      - **Vnitatis solutione.** *Vide in seq. signum* †
  - **Vnitas,** *quæ in similaribus partibus atque in dißimilaribus reperitur. De hac nihil Gal. in præsentia: quandoquidem eadem ferè illius ratio est in indicando, siue potius in coindicando, quæ temperiei erat & figuræ. Nanque unitas*
    - **Præter naturam** *soluta, uerbi gratia, uulnus magnum in parte carnosa, indicat maiorem curam in coniunctione labiorum per suturas, fibulas, &c. adhibendam esse.*
    - **Naturalis** *denuo reducenda erit, quantam scilicet partis cõformatio requiret. Quare cùm carne expletum fuerit ulcus, uel cõglutinatum uulnus, tunc ne caro excrescat epuloticis erit opus.*

† Vnitatis solutione, κατ' ἐξοχὴν, quæ simul & temperiei & compositionis uitium complectitur. Qualis morbus est phlegmone. Oritur ex affluxu humoris, & curatiuam indicationem habet Euacuationem, generaliter sumptam. Iam uerò per quæ fiat

Loca, indicat situs partis. Fieri enim debet euacuatio per uias uicinas & affines parti affectæ. Itaq; si inflammatio sit in

- Coxa uel in utero, per uenas in poplite aut talo.
- Thorace uel pulmone, aperiatur interna cubiti.
- Capite aut collo, humeraria secetur.

Instrumenta, indicat natura morbi, atque etiam situs loci. Nam si uerbi gratia, reliquiæ inflammationis sint resoluendæ, resoluentiũ remediorum usum partis inflammatæ situs limitat. Si enim pars affecta sit in

- Superficie corporis & cutis, tanta debet esse uis medicamenti resoluentis, quantam morbi natura efflagitat.
- Profundo, quia uis remedij refringitur & debilitatur, antequã penetrare poßit, idcirco qualitas eius augenda erit ultra quàm morbi natura postulat. Sicut ecõtrà si adstringẽte medicamẽto egeamus, in parte profunda, miscenda erunt calida & aromatica, quæ instar uehiculi uim pharmaci ad intima usq; deducant; quod sibijpsi alioqui uiam præcluderet sua uehementi adstrictione, & insuper materiam uicinam magis in partem affectam propelleret.

CAPVT XX. DE ACTIONIS SIVE CVRATIONIS EVENTV ET TEMPORE cognoscendo per signa prognostica in corpore ægro.

DIAGNOSTICA signa morbi qualitatem & naturam indicant: Prognostica uerò morbi euentum, & an indicationibus curatiuis satisfacere poßimus. Quapropter ad medici existimationem plurimum conferunt, eumq; ab omni mortis culpa immunem reddunt: deinde etiam ægros ad obtemperandũ faciles exhibent: denique occasionem quoque remediorum aliquo pacto præmonstrant, ne uel in deplorato morbo medicamentis infamiam irrogemus, uel in placido morbo desperemus & ægrũ relinquamus. De prognosticis signis, cap. 31. Artis med. abundè diximus. Nunc breuiter cum Gal. tractemus PRAESAGII rationem tum secundùm

Τὸ ὅτι, dupliciter: tum ratione ipsius rei, an sit: tum ratione nostri intellectus, an à nobis percipi queat. Quæstionem ergo proponit Galenus, An sicuti animatæ res proprium uitæ habent spacium, ita quoque morbi, quamuis res inanimatæ, tempus constitutum habeant quo terminentur: & si habent, utrum tempus illud cognosci, atque adeo exitus morbi præuideri poßit. Quòd igitur morbus quilibet tempus certum & determinatum habeat, nemo ambigit: morbus enim motus est, cuius numerus est tempus. Quòd autem à medico cognosci debeat, eadẽ ratione cõstat, quia tempus accidens est morbo familiare. Quòd uerò insuper à medico cognoscatur, etiã uulgo notum est: quandoquidem nisi medicus prænosceret euentum morbi, & tempus, non prædiceret: neq; enim alio differt πρόγνωσις à προῤῥήσει, quàm quo λόγος ἐνδιάθετος à λόγῳ προφορικῷ. Colligamus ergo reciprocum syllogismũ Galeni: Si morbi tempus habent, prænoscitur. At habent. Ergo prænoscitur. Et uicißim: Si tempus morbi prænoscitur, reuera est. At prænoscitur. Ergo reuera morbi habent tempus suum. Nam quemadmodũ in corporibus animatis lõgitudo & breuitas uitæ ex natura calidi & humidi natiui dependet, quorum hoc quidem materiale, illud uerò formale uitæ principium existit: ita in morbis, qui affectiones sunt corporis animati, tempus ipsum ex utroque morbi principio, materiali scilicet atq; formali, profluit. Supponamus ergò nunc, quòd detur certum tempus morborum, quòdq; idipsum cum suo euentu à medico prænosci & prædici poßit.

Τὸ διότι, quomodo & per quæ præsagium istud absoluatur. Medicus mẽte prænoscit, lingua prædicit: id quod præsagit & prænoscit, est morbi uel exitus, uel duratio. Itaque ut ordinatè hæc tradamus, in præsagio quædam obseruanda sunt ratione

- Personarum, tam agentium, quàm patientium. Nempe id quod Hippocrates in primo aphorismo primi libri monet: οὐ δεῖ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιεῦντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν. Itaque medici est prædicere, non tamen absolutè (ut uates & prophetæ solent) sed cum hac conditione, Si nullus error contingat, nec ex parte medici, nec ex parte ægri.
- Rei. Vide in seq. signum ♯

Rei. Quo nomine complectimur duo: uidelicet

Signatum, quod per signa prognostica prænoscitur, & per signa prorrhetica prædicitur. Signatū autem hoc non est ipse morbus, sed accidēs morbi: neq; tamē quoduis accidens, sed illud tantùm, quod ordinatè causas morbi sequitur. Nā symptomata quæ morbo accidunt, à morbo tanquam fomite oriuntur atque dependent uel

Non necessariò: habent enim causas non necessarias, neque internas, sed externas tantùm & fortuitas. Quare arte carent, eaq; de causa sub medici contemplationem non cadunt: quandoquidem cuiusq; prudentiæ est causas illas euitare, non autem medici eas remouere. Sic uerbi gratia, à tumultu nocturno, à latratu canum symptoma oritur, ut in somnis reddatur æger. quod nec necessariò accidit, nec à medico præsciri aut prædici potuit.

Necessariò, quoniam ab ipsius morbi causis internis pendēt, etiamsi interdum adsint, interdum non adsint. Necessitatem ergo habent, non præsentiæ (id est, ut semper adsint) sed depēdētiæ, quòd quandocunque adsunt, à morbi causis necessariò generantur. Differunt inter se rursus symptomata ista. Accidunt enim uel

Inordinatè, propter causarum instabilitatem, à quibus proueniunt. Exemplum sumit Gal. à materia aliqua, quæ repentè & præter expectationem uel in partem principem influit (unde periculū uitæ instat) uel à parte principe in partem ignobilem præcipitatur, & salutem affert. Vt ergo causa morbi seu symptomatis incerta, ita quoque præsagium incertum est. Hoc est quod Hipp. 2. aphoris. 19. inquit: Acutorum morborum non omnino tutæ sunt prædictiones, neque salutis, neque mortis.

Ordinatè, propter causas ordinatas & stabiles, quæ morbum iam effecerunt actu. Quapropter etiā prognosticū certū efficiunt, ut ex accidentibus seu symptomatibus morbi diagnosticis possit aliud accidens morbi per πρόγνωσιν cognosci: quod quidem accidens sequitur pugnantium inter se contrariorum alterum, nempe uel

Naturam, uidelicet Euentus siue exitus morbi. Nam si uincat natura, salubritatem: sin uincatur, mortem prædicet medicus.

Morbum, qui remoueri debet & curari. Curatio est motus. Omnis motus habet suum tempus. Quare morbi quoq; Tempus siue duratio inuestiganda est, cùm ex alijs signis, tum præcipuè ab excrementis, quorum unum quodlibet definitum habet tempus quo concoquatur.

Signum. Vt duo sunt signata accidentia, quæ morbo accidunt, Euentus scilicet morbi, & Tempus: ita quoque duplicia erunt signa prognostica, quæ ad tempus & ad euentū referuntur. Subiectò autem sunt eadem cum diagnosticis, differunt tantùm relatione, quòd hæc præsentem morbū, illa autem futura morbi accidentia indicent. Quemadmodū ergo cùm plures gymnastas in arena conspicimus, ex primis statim motionibus futurum uictorem præuidemus: ita quoque in ipso morborum principio medicus ex diligenti consideratione luctæ, quam natura habet cum morbo, colliget & durationem morbi, & exitum morbi. Cùm enim duo sint hostes in corpore ægro, Morbus & Natura, necessarium est ut ad præsagium ipsum faciendum medicus pugnam istorum perpendat, & probè obseruet tum

Quis superior sit, natura, an morbus. id quod ex facultatis tum uitalis tum naturalis robore per discet (quorum utraq; animali necessaria est, ut sit, & ut uiuat) præterea etiam ex symptomatum uehementia. Hinc enim Euentū morbi infêres. Nam si uincat

Natura, & facultas uitalis constet, æger sanabitur.

Morbus, qui symptomatibus fæuis tanquam satellitibus aut nuntijs naturam opprimit, æger morietur.

Quantum alteruter uincat aut uincatur, siue excessus magnitudinem. Hoc ex morbi materia cognoscetur: materia autē ex excrementis. Excrementa uaria, materia uaria, euacuatio uaria. De his omnibus in lib. de Crisibus διεξοδικῶς. Hîc breuiter tantùm & in uniuersum dicimus, quòd materia

Concocta, uelocem crisim & morbi solutionem parit.

Cruda, uel nullam crisim, uel imperfectam, uel labores, uel prolixum tempus, uel mortes, uel recidiuas causatur. Testatur hoc, præter experientiam, innumeri ferè Hippocratis aphorismi.

CAPVT XXI. DE CORPORIS NEVTRI DECIDENTIS PRÆSERUATIONE SIUE CORRECTIONE, IN QUO SOLA CAVSA PRÆTER NATURAM EST.

CORPORIS ægri curatione exposita, transit nunc ad corpus neutrum. Quod quia duplex est, alterum Decidentiæ, alterum Conualescentiæ: de posteriore quidem in seq. cap. aget, de priore uerò in præsenti. Corpus neutrum mediæ est naturæ inter duo extrema: ergo etiã actio circa illud media erit, quæ προφυλακτικὴ dicitur. Quòd autem præseruatio propriè & impropriè sumeretur, in cap. 49. Artis med. luculenter edisseruimus. Impropriè enim omnis actio, quæ grauius quid amolitur à corpore, præseruatio dicitur (sic ergo ὑγιεινὴν quoque & θεραπευτικὴν comprehendit) propriè uerò illa tantùm, quæ corpus neutrum corrigit. Porrò quia corpus neutrum intra latitudinem sanitatis siue salubris corporis, quod medium est inter constitutionem optimam & ægram, comprehenditur: ideo etiam correctio neutri corporis, impropriè dici potest ualetudinis conseruatio. Et propterea Gal. sæpe præseruationem & refectionem corporis neutri sub ὑγιεινῇ complecti uoluit: ita quidem, ut etiam hoc in loco, de προφυλακτικῇ uerba faciens, dubitatiuè loquatur, inquiens, Si modò illa sit pars artis huius, τῆς ὑγιεινῆς scilicet. Nam si τὸ ὑγιεινὸν impropriè sumatur, pars illius erit neutrum: sin propriè, non erit. De PRÆSERVATIONE itaque propriè sumpta acturi in corpore neutro decidente, quod à sanitate ad morbum inclinare cœpit, cum Galeno duo obseruemus: uidelicet præseruationis ipsius

- **Causæ.** Vt ergo sanitas in commoderatione principiorum uitæ, calidi uidelicet & humidi, consistit: morbus uerò in eorundem immoderatione: ita etiam quæcunque fuerint in corpore neutro neutralitatis causæ, ad duos istos fontes necessariò reducuntur, nempe uel ad humidi, uel ad calidi naturam uitiatã, non tamen omnino, ut actiones uitæ necessarias impediat, sed aliqua tantùm ex parte. Ex quo ipso deinde colligimus, Actionem siue præseruationem corporis neutri in eo consistere, ut causæ præter naturam tam primitiuæ quàm antecedentes tollantur: quemadmodum econtrà curatio in profligatione morbi & symptomatum remotione potißimùm occupabatur.
- **Subiectum,** siue corpus neutrum quod præseruandum est. Non præseruaretur, nisi decideret à sanitate. Hic autem lapsus non est morbus, nec etiam symptoma morbi: sed causa morbifica esse poterit, nisi præseruetur corpus. Proinde πάθημα solum est, non autem πάθος, lapsus iste. Cuius quidem inuestigari debent
  - **Signa** siue symptomata, quæ neutralitatem consequuntur, eamq; sensibus subijciunt, & causas interiùs latentes prodũt. Sic ergo distinguendũ: Aut enim causæ istæ artificiosa cõiectura à medico cognosci
    - **Nequeunt,** quoniam nullam molestiam corpori afferunt, nec ullum aliud symptoma grauius inuehunt, sed occulta tantùm qualitate principijs uitæ nocent. Sic morsus canis rabidi nullum euidens signum, præter uulnus, corpori imprimit, donec propè instet rabies. Quare cognitio ἄτεχνος hic amplectenda est, ex ægri & astantium relatu.
    - **Possunt,** per sua signa: quæ eosdem habent fontes in corporibus sanis, ægris atque neutris, Actiones uidelicet & Paßiones: differũt tantùm qualitate & quãtitate. In sanis naturalia, in ægris præter naturam, in neutris partim naturalia, partim præter naturam esse conspiciũtur. Quamuis enim in corpore neutro decidente ad signa ægra inclinant (ut in neutro conualescente ad signa salubria) quantitate tamen usque adeò sunt exilia, ut nondũ à consuetis operationibus & uitæ necessarijs animal abducere possint. Et proinde mediam quoque naturã uidentur obtinere. Exemplis illustrat Gal. quòd signa neutra siue media ducuntur tum ab
      - **Actionibus**
        - **Animalibus.** Pigritia in motu: procliuitas ad somnũ: uigiliæ.
        - **Vitalibus.**
        - **Naturalibus.** Cibi appetẽtia uel aucta uel ablata. Sitis uel immodica, uel nulla.
      - **Paßionibus, uel**
        - **Totius** corporis, tumor, gracilitas, decoloratio.
        - **Partis,** dolor capitis, tensio et punctio hypochõdriorum.
- **Modum.** Vide in seq. signum □

- **Quid** *agendum sit. Quemadmodum curatio per contraria fiebat, ita etiam præseruatio per ea quæ è diametro pugnēt cum causa quæ morbum minatur. Et in hoc ipso præseruatrix actio magis conuenit cum ægri corporis curatione, quàm cum corporis sani conseruatione. Cōtrariorum generalem rationem hoc in loco Gal. per exempla docet. Causæ erant morbificæ, calidi aut humidi inmoderatio: & quia humidum materiæ simile est, idcirco calidum ueluti formam comprehendere uidetur, ut quandocunque humidum læditur, etiam calor affici uideatur. In humido igitur cōsiderabimus mutationem factam leuem (siue unà calor alteratus sit, siue solam humidi immutationem nobis imaginemur) tum ratione accidentium*
  - **Formalium,** *siue ab occulta, siue à manifesta qualitate prima fiat. Contrario ergo qualitate opus erit, eaq; aut prima, aut certè secundum totam substantiam agente.*
  - **Materialium.** *Sic ergo in humore ipso consideranda est*
    - **Quantitas.** *Euacuanda erit & detrahenda, quocunque genere euacuationis.*
    - **Qualitas secūda,** *quæ sequitur primas. Eam autem qualitatē intelligo, quæ sit ueluti habitus. Cuius quidem correctio generali nomine Concoctio dicitur. Particulariter uerò id quod est*
      - **Crassum,** *erit* Attenuandum.
      - **Tenue,** Incrassandum.
      - **Lentum,** Incidendum.
      - **Tenax,** Abstergendum.
      - **Infarctum** *& obstructū,* Aperiendum.
      - **Mordax,** Diluendum.
      - **Putridum,** Exiccandum, *ita ut proportio sit inter calorem & humidum naturale.*
- □ **Modum,** *siue ipsam actionē. In qua itidem duo consideranda erunt: tum*
  - **Quomodo,** *seu quibus instrumentis præseruatio sit molienda. Quod quidē ostēdit Galenus per exempla, quomodo scilicet euacuādum sit, et quomodo aperiendæ sint obstructiones. Intentiones tātum curatiuas indicat: syluam remediorum ad lib. De fa cult. simpliciū med. reijcit. Quomodo ergo uacuandum sit & aperiendæ obstructiones, indicabit tum*
    - **Locus** *affectus. Afficitur enim uel*
      - **Totum** *corpus. Illius ergo*
        - **Obstructio** *seu (ut propriè loquar) constipatio pororum auferatur per frictiones, per balnea, per sudores, per diaphoresin.*
        - **Vacuatio** *fiat per phlebotomiam, per frictiones, per exercitia, per balnea, per pharmaca, per mediam.*
      - **Pars,** *uerbi gratia, hepar. Quapropter*
        - **Euacuabitur,** *sanguinis missione, diureticis, aluum ducentibus.*
        - **Aperietur,** *cibo & medicamentis per os sumptis, atque exterius applicitis.*
    - **Affectio,** *siue affectionis ipsius materia. Nam humores peccant uel*
      - **Omnes** *simul in toto. Conuenit ergo phlebotomia, purgatio eradicatiua, ut uocant, &c.*
      - **Non omnes.** *Sic ergo uel*
        - **Sanguis** *sua multitudine peccat. Euacuetur per sectionem uenæ.*
        - **Pituita** *morbum facit, uel*
          - **Salsa.** *Quia tenuis est, & ad eductionem apta, purgatione uacuanda est.*
          - **Acris,** *quæ priusquam educatur alteranda est, ne uias per quas educitur lædat.*
          - **Dulcis.** *Si copia sua officiat, educenda erit. Sin minus, concoquenda est, et in sanguinem conuertenda. Concoquetur autem omnibus ijs, quæ innatum calorem roborare possunt: ut quies, moderata calefactio, cibi euchymi parcus usus, potus uini parum calefacientis, moderata frictio; aquæ calidæ, cibi insuper & medicamenta temperatè calefacientia.*
        - **Bilis,** *aut etiam serosus humor abundans, euacuari debet, præmissa alteratione, quando eius acredinem timemus. Per uarias autē uias educitur, quia tenuis est humor, & uarijs in locis cōtinetur. Nam si in primis uenis, per aluū purgabitur: si in secundis, per urinam: si in toto, per sudores.*
        - **Melancholia.** *Cuius eductio per solam aluum & hæmorrhoides tuta est: interdum etiam per phlebotomiam, sed rarius, & non nisi in melancholia naturali.*

CAPVT XXII. COMMVNIS RATIO, TVM REFICIENDI CORPVS neutrum CONVALESCENS, tum CONSERVANDI corpus SANVM.

Post corpus neutrum Decidentiæ, duo alia corporũ genera se offerunt, corpus neutrum Conualescentiæ, & corpus Salubre. Quæ una eademq; opera Gal. explicat, propter affinitatem naturæ atque etiam actionis siue operationis medicæ. Quapropter

Primò corpus neutrũ conualescentiæ tractat, cui debetur Refectio propriè dicta: quamuis & præseruatio, & conseruatio sanitatis appellari poßit. Refectio enim ubeatur ratione accidentium, quæ in corpore conualescente à morbo præcedente impressa relinquuntur, utpote macilentia, & uirium debilitas. Præseruatio uerò, quoniam præseruat cõualescentem debita uictus ratione, ne ex copiosiore alimẽto auidiùs ingesto (ut ferè fieri solet) recidiuam patiatur. Conseruatio deniq; est nuper introductæ sanitatis. Supposito ergo hoc corpore conualescente, Gal. breuiter ostendit tum

Subiecti corporis neutri naturam. Neutrum est, id est, medium inter corpus salubre & ægrum. Cum salubri participat in interna forma sanitatis: cum ægro uerò in externis accidentibus quæ ex morbo supersunt, & à refectrice medicina corrigi debent. Quamuis ergo nec causam præternaturalem corpus neutrũ conualescens contineat, nec affectionem præternaturalem siue morbũ patiatur, habet tamen accidentia non naturalia, quæ morbum secuta sunt tanquam umbra corpus: & morbo sublato, ipsa quoque abeunt, hoc est, non amplius generãtur aut fouẽtur, quãuis ea, quæ cum morbo uenerũt, adhucdum perseuerent: & proinde medici est, curato morbo symptomata illa remouere. In corpore itaq; conualescente duo potißimum sunt symptomata, quæ à morbo impressa sunt, & post morbum quoq; manent, quamuis ab eo amplius nec generẽtur nec foueantur, macilentia scilicet & imbecillitas uirtutis. Morbus enim qui corpus occupat, non modò corporis substantiam demolitur, sed etiam animæ siue temperaturæ actiones labefactat. Post morbum itaque remanet in

Corpore Macies, uel ratione

Spirituum absumptorum. Nam absumptis spiritubus membrum concidit & flaccescit, eùm ui spiritus ampliùs inflari & intumescere nequeat. Citò autem macies hæc & oritur & corrigitur in membris. Est ea de re aphorismus Hippocratis septimus, libri secundi: Quæ longò tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet: quæ uerò breui, breuiter.

Humorum deficiẽtium, quibus ali debebant membra. Atque illorũ rursus uel

Primorum, qui in uenis continentur, ab hepate generantur, & ad membra affluũt pro alimento. Deficiũt ferè propter debilitatem facultatis naturalis, quæ alimẽtum externũ non potest concoquere. Quanto autem sunt corpulentiores spiritubus, tãto quoq; lõgiori tempore deficere, & refici possunt.

Secundorum, qui in spatia membrorum media iam sunt trãsfusi. Quòd si ex istorum consumptione (quæ ferè à febrili calore depascente fieri solet) macies accidat, quanto solidiores fuerũt, tanto difficilius et lõgiori tẽpore refici possunt.

Animæ facultatibus, Debilitas uirtutis tum animalis, tum uitalis, tum naturalis, propter spirituum inopiam, qui non nisi ex optimo sanguine (cuius hic magna est penuria) refici possunt. Ex spiritu enim naturali uitales generantur, ex uitalibus animales.

Modum agendi seu operandi circa hoc corpus, remouendo duo ista accidentia, macilentiam, & debilitatem. Vna eademq; opera hoc fieri poterit, alimenti uidelicet congrui administratione: per quod humores primùm optimi generantur, ex quibus membra refici possunt, deinde etiam ex bono sanguine spiritus reparantur, per quos facultas animæ (ἀπαθὴς alioqui) actiones suas dextrè obire queat. Hippocrates totũ hoc negotium unico aphorismo, octauo scilicet, libri secundi, cõplexus est, inquiens: Si à morbo cibũ assumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus uti significat. Quòd si non assumenti cibum hoc accidat, scire oportet quòd indiget euacuatione. Porrò alimenti nomine sex res non naturales (ut medici uocant) siue Diætam ipsam, intelligo. De qua quoniam in lib. De tuẽda sanitate, copiosè egit, hic capita tantùm præcipua recẽset: & sic artificiosè conseruationem salubris corporis annectit, refectioni corporis neutri conualescentis, cùm eadem ferè uideatur esse utriusque actionis ratio.

Secundò corpus salubre tractat, ex cuius explicatione corpus quoque neutrum conualescens meliùs intelligetur. Vide in seq. signum ⌂

Corpus igitur salubre, quia nihil planè in se habet quod malum sit aut præter naturã, ideo in eo statu conseruandum est. Conseruatio ipsa ὑγιεινὴ dicitur. Pro cuius quidem declaratione (quandoquidem Gal. multis alijs in locis, & hîc quoque, operationes medici circa corpus non modò salubre, uerumetiã neutrum, uocabulo τῆς ὑγιεινῆς comprehendit) ratio erit habenda tum

Nominis. Sic ergo ὑγιεινὴ sumitur uel

Propriè, pro ea operatione, quæ corpora uerè salubria in statu suo conseruat. De qua nunc nobis sermo est institutus. Quæ tamen ipsa ex præseruatione, id est, remotione impedientium, & ex refectione eius quod assiduè per insensibilem habitum effluit, composita est: ut in sequentibus audiemus.

Impropriè, pro ea operatione, quæ corpus non uerè salubre, sed neutrum (quod tamen intra sanitatis latitudinẽ à Gal. in tertio cap. Artis med. comprehenditur) uel

Præseruat, ne in morbum labatur. Propriè dicitur προφυλακτική. Sanitatem conseruare uidetur per accidens, quoniam scilicet futuram ægritudinem prohibet.

Reficit, ne recidiuam patiatur. Appellatur propriè ἀναληπτική. Sanitatem denuò introductam conseruat: reficiendo tamen, accidentia à morbo relicta submouet.

Rei ipsius siue operationis medicæ, hoc est, conseruationis eorum quæ in corpore salubria sunt. Pro quorũ intelligentia duo sunt perpendenda: uidelicet

Subiectum ipsum salubre, quod corpus est. Corporis porrò tria sunt bona: Actio, quæ temperiem sequitur: Pulchritudo, quæ membrorũ (τὰ μέλη idcirco Græci uocant) commensurationem atq; proportionem comitatur: & Sanitas, ueluti fundamentum omnium, quæ in optima commoderatione principiorum uitæ posita est, & intùs latens, per actiones & pulchritudinem tanquam per signa sua cognoscitur. Sanitas ergo formalis in corpore subiecto causam suam habet, optimam cõmoderationem & temperiem principiorum uitæ inter se mutuò, ita ut in toto simul, & in qualibet parte tam organica quàm similari, debita sit uis agentis caloris, & humidi patientis conueniens resistentia. Loquor autem de calido natiuo, & humido innato. Nam communia sunt ista principia omnibus partibus. Temperies porrò, quæ partium forma est, à qua aliæ partes calidæ, aliæ humidæ, &c. dicuntur, ab elementarium qualitatum mixtione oritur. Verùm de duplici isto calore in membris, aliàs, quando ex professo membrorum theoria instituetur.

Actio ipsa. Vide in seq. signum ☩

Actio ipsa, hoc est conseruatio salubris corporis. Cõseruantur omnia suo simili primùm, deinde remotione impedientium siue contrariorũ. Quare hic quoq; Gal. quærit, Num ὑγιεινὴ uersetur tantùm in cõseruatione similis (hoc est, tueatur id quod præsens est) an etiam in remotione contrariorum (id est, eo ipso tantùm à curatrice parte differat, quòd in minimis quibusdam corrigendis uersetur?) Respondet ex rei natura, siue ex necessitate causarum quæ corpori accidunt, & illud immutant: Quòd in utroque consistat. Ad cuius clariorem intelligentiam notandum est, quòd calor in humidum agit ueluti in pabulum, quo nutritur. Necesse ergo est, ut reficiatur humidũ subinde simili alimento extrinsecus accedente: & hæc est Cõseruatio. Verùm quia alimentum siue cibus corpus dissimilare est, nec unius generis, quamuis probè concoquitur, multa tamen excrementa redundant, quæ principijs uitæ officiunt, atque idcirco remoueri debent, & corpus ipsum quodammodo præseruandum est. His suppositis, colligimus ex hoc breui discursu tum

- **Causas** immutãtes corpus, circa quas ὑγιεινὴ occupatur, ut illas uel mitiget, uel certè remoueat. Sunt autem uel
  - **Essentiales**, hoc est, de sanitatis essentia; illam enim constituunt, perficiunt & absoluunt, internæ, atque idcirco ineuitabiles. Sic causa est, Actio caloris in humidum innatum. Quæ ut naturalis est, ita à medico nequit omnino tolli, sed tantùm impediri, ne nimis sæuiat. Si omnino posset tolli, immortalis fieret homo. Agit autem calor in humidum, illudq; per insensibilem transpirationem digerit in halitus & resoluit.
  - **Accidentales**, non constituentes essentiam sanitatis, siue in corpore sint, siue extrinsecus accidant. Rerum non naturaliũ nomine à medicis comprehenduntur, quoniam naturam corporis non constituunt, sed eandem oportuno usu conseruant, importuno uerò corrumpunt. Agunt autem in corpus immutando sanitatem illius non primò & per se, sed mediatè tantùm, quia scilicet immutant principia interna uel intensione uel remissione tum
    - **Humidi.** Sic ergo ad humidi
      - **Substantiam** confert Cibus & Potus.
      - **Accidentia** confert Inanitio & Repletio.
    - **Calidi.** Cuius quidem
      - **Substantiam**
        - **Nutrit** Aër.
        - **Corroborat** Somnus, quia resocillantur spiritus. Sicut è contra, Vigiliæ debilitant.
      - **Accidentia** siue qualitates (acrimonia uidelicet & mobilitas caloris) pendent tum ab
        - **Internis**, ut ab Animi accidentibus.
        - **Externis**, ab Exercitatione scilicet, & Quiete.
- **Remedia**, quibus causas illas remouemus. Causis remotis, remouetur etiam effectus. Remotio ista similis est conseruationi, ut etiam in corpore neutro decidente remotio imitabatur conseruationem. Causæ porrò instrumentariæ salubres & conseruantes (hoc est, quæ causas eas, de quibus superius dictum est, remouent, illisq; remotis sanitatem corporis cõseruant) siue remedia ipsa, sunt eiusdem generis cum causis immutantibus salubritatem, differunt tantùm quòd contrariæ sunt. Ex quo ipso qlibet facile colligere potest, quomodo ὑγιεινὴ & reficiat & præseruet, non quidem corpus neutrum, sed corpus salubre. Alia enim est refectio & præseruatio corporis neutri, alia corporis salubris: & in corpore neutro actiones istæ proprijs nominibus appellantur, ἀναληπτικὴ καὶ προφυλακτικὴ: in salubri uerò generali nomine τῆς ὑγιεινῆς comprehenduntur. Iam uerò ut ad rem accedamus, inter causas istas cõseruantes aliæ remouent mutationem corpori impressam à causis efficientibus
  - **Essentialibus**, ipsam scilicet difflationem in halitus, & continuam inanitionem, quæ fit à caloris actione in humidum. Sic cibo & potu reficitur. Quæ quidem prima & potißima est pars τῆς ὑγιεινῆς, nempe conseruatio principiorũ uitæ per aßiduam refectionem eius quod defluxit.
  - **Accidentalibus**, hoc est, à cibo & potu, ab aëre, à somno & uigilia, ab exercitatione & quiete, ab animi accidentibus, ab ipsis deniq; excrementis, circa quæ inanitio & repletio uersatur. Res enim istæ non naturales, quantum ad conseruationem principiorum uitæ faciunt, si rectè illis utare, tantundem quoque ex immoderato usu ad eorundem corruptionẽ facere possunt. Corrigentur ergo cõtrarijs suis eiusdem generis. Verbi gratia, aër pestilens aëre puro & salubri: cibus calidus cibo frigidiore: repletio, excrementorum inanitione per exercitia, per inediam, per medicamenta, &c. Nam ad unius causæ siue unius effectus ab una re non naturali impreßi remotionem, multarum aliarum rerum non naturalium usus conducere interdum potest. Hæc igitur correctio secunda est pars τῆς ὑγιεινῆς.

EPILOGVS, SIVE TERTIA PARS COMMENTARII DE CONSTITVTIONE ARTIS.

NIHIL *in rerum natura est, quod momento temporis uel incipiat, uel desinat. Quare in ijs etiam quæ arte constant, ad imitationem naturæ, idem obseruari consueuit. Iam ergo tertiam partem huius libri, iuxta ordinis Rhetorici diuisionem, Epilogum scilicet aggredimur: non quidem necessariam partem, utilem tamen, atque ex ordinis resolutiui (quem in hoc libro adhibuit) natura dependentem. Etsi enim Resolutiuus ordo non semper breuitati studet (id quod in Ethicis Aristotelicis uidere licet) hîc tamen breuis est. Ne igitur breuitas obscuritatem pareret, in arte potißimum tam longa & uaria, frequens excogitata est* ἀνακεφαλαίωσις *eorum de quibus actum fuit: quam in contextu huius libri Galenus non rarò adhibet. Proinde in Epilogo quoque instituit breuem enumerationem præcipuorum capitum Artis medicæ, hactenus expositorum, ex quibus ars medica tota constitui, & tanquam ex suis fundamentis deduci potest. Hoc enim institutum eius ab initio fuerat: cui se iam satisfecisse ordine resolutiuo, per hunc epilogum ostendit. Explicata enim sunt hactenus Artis medicæ tum*

- Principia *siue causæ: nempe*
  - Finis *omnium primus in ordine resolutiuo. Sic medicina ars est factiua, restictiua, non eius quod imaginatur medicus, sed quod in corpore, ipso sensu, uitiatum esse deprehendit.*
  - Materia, *corpus scilicet humanum ex similaribus & organicis partibus constans.*
  - Forma, *salubritas uel insalubritas corporis.*
  - Efficiens, *medicus, qui naturæ operantis minister est. Et quidem ut ars in intellectu est, ita medicus prima est causa efficiens: ut uerò in re ipsa, sic natura primas obtinet.*
- Principiata *siue effectus, particulares nimirum actiones circa particulares corporum differentias. Medicinæ enim finis in actione siue operatione positus est. Docuit ergo corpus*
  - Insalubre *curare.*
  - Neutrum *præseruare.*
  - Salubre *conseruare.*

FINIS COMMENTARIORVM IN LIBRVM GALENI DE CONSTITVTIONE ARTIS MEDICÆ.

BASILEÆ,
APUD IACOBUM PARCUM,
EXPENSIS IOANNIS
OPORINI,
ANNO DOMINI,
M. D. LXI.